DE ARTE FLORALI

APUD JAPONENSES

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Michael REVON

JURIS DOCTOR

TUM DOCENS IN UNIVERSITATE IMPERIALI JAPONICA

ET AD IMPERIALE GUBERNIUM CONSILIARIUS

IN REBUS AD PUBLICAM JUSTITIÆ MINISTRATIONEM PERTINENTIBUS

PARISIIS

APUD LECÈNE OUDIN ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

VIA DICTA DE CLUNY, 15

—

MDCCCXCVI

DE ARTE FLORALI

APUD JAPONENSES

DE ARTE FLORALI

APUD JAPONENSES

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Michael REVON

JURIS DOCTOR

TUM DOCENS IN UNIVERSITATE IMPERIALI JAPONICA

ET AD IMPERIALE GUBERNIUM CONSILIARIUS

IN REBUS AD PUBLICAM JUSTITIÆ MINISTRATIONEM PERTINENTIBUS

PARISIIS

APUD LECÈNE OUDIN ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

VIA DICTA DE CLUNY, 15

—

MDCCCXCVI

DOCTISSIMO, ORNATISSIMO VIRO

A. CROISET

REVERENTI ANIMO

D. D. D.

M. REVON.

DE ARTE FLORALI

APUD JAPONENSES

> Juvat integros accedere fontes
> Atque haurire, juvatque novos decerpere flores.
> (T. Lucretii Cari, *De rerum naturâ*, lib. IV, v. 2, 3.)

Rem aggredior specie humilem, scilicet artem floralem apud Japonenses. Judice viro seculari, quid futilius? Spero tamen fore ut hæc mea lucubratio placeat nonnullis egregie doctis, quibus eam subjicio. Cuicumque enim scientiæ studioso nihil vanum est, et quædam conspectu levissima revera graviora sunt. Nec deest disputatio de materiâ aliquâ omnino speciali et paginis decem conclusa, quæ plures agitet sententias generales quam liber ingens, vulgatis ac tritis rebus refertus. Sic in uno stagno vel exiguo totum cœlum datur speculari.

Cæterum quidquid apud Occidentales litteris tractabile erat, sive antiquum sive recens, id antecessores nostri velut in agro sibi permisso messuerunt, paucis admodum relictis quæ post eos colligamus. Quæ apud ipsos Orientales dudum arcana fuerant, jam pleraque palam facta sunt; et si quis novas terras explorare, ac inde ignota pro-

ferre velit, ad extremos usque Orientalium fines, id est, ad Japoniam, Coream et Sinam proficiscendum est.

In primis autem gens japonica investigatori occurrit legibus, artibus et doctrinis omnimode instructa, non eisdem moribus et studiis ac olim Græci vel Romani, sed forte non minori attentione digna si seorsim in longinquâ suâ solitudine consideretur : nam quod ad nos attinet, ad Romanos et Græcos magis attendimus quatenus ab eis velut progeniti et enutriti. Japoniæ habitum merito dixeris silvam immensam, hominum manu fere intactam, vegetamine prodigiosam : suas habet cedros perantiquas, quibus obumbrantur templa diis ignotis dedicata sine numero ; suas habet herbas magnifice pubescentes, floribus fructibusque gravatas, quæ confusione massâque inextricabili creverunt procul a nostrâ Europâ quæ eas ignorat; habet quoque muscos humiles, nullo Francorum pede calcatos. Ex his fragilibus japonensi ingenio productis flosculis, ad unum aliquem volui inclinare me ipsum.

Huic meæ lucubrationi suum,ut spero,pretium erit, sive ad philosophiam generalem attendatur, sive ad philosophiam particularem inclitæ gentis, nuperrime bello famoso manifestatæ. Ratio perite componendi flores ad artem japonicam se habet ut exigua pars, at certe multo minorem obtinet locum in estheticâ universali. Attamen est illi odor quidam proprius, quo forte delectabuntur, si qui sint, exquisitæ pulchritudinis amatores, necnon specialis radiatio, quâ artes huic affines aliquo lumine ac decore illustrari possunt. Vere sunt arti florali leges singulares quas cognoscere haud sine operæ pretio est, non solum in eâ regione de gentibus, ubi ars illa nata est, sed etiam in europæis regionibus, præsertim in amantissimâ nobis

patriâ, pulchrarum rerum studiosâ Galliâ, cui primæ omnium offero florum fasciculum quem longe ab eâ ego collegi in remotissimis insulis, in extremo silvæ recessu, ad fontem sacrum.....

I

Frustra quæreres apud Occidentales, sive antiquos, sive recentes, eam floralem artem quæ viget apud Japonenses : quinimo neminem nostris artibus et doctrinis tantum instructum, hujusmodi doctæ exquisitæque artis ideam generalem concipere posse dicendum esse videtur, nisi prius quodammodo cognoscat in quonam sensu Japonenses hujus artis rationem accipiant. Etenim si Recentiorum mores artesque attente observaveris, nullum hujus artis exemplum vel minimum invenies : nec etiam si memoriâ repetieris ea quæ ex antiquitate sive græcâ sive romanâ collegisti, ullum tibi occurret vestigium ex quo hanc ignotam artem existere potuisse dicere valeas.

Flores equidem apud Græcos et Romanos in magno erant honore : coronæ vel serta ex eis confecta in multis publicis privatisque circumstantiis, præsertim in sacrificiis et conviviis adhibebantur. At flores vulgari ordine nectebantur, eorumque odor et color tantum, vel ad summum sensus figuratus in pretio erat : quod vera ars dici nequit. Si hæc ars exstitisset, vestigia quædam vel levissima, si non apud Romanos minus cultos, at certe apud Græcos inveniri possent : de illa Veteres scriptum reliquissent, nec dubium quin divus Plato eam peramanter celebrasset : sed Veteres hanc artem silentio prætermiserunt. Coronarias etiam apud illas gentes luxuriâ diffluentes magno in honore fuisse compertum habemus : quæ tamen tantum

ut vitæ voluptatum solertes ancillæ habebantur, haud secus ac peritissimi coqui aut unguentarii. Insuper ex eo quod penes feminas remansit ars floralis, nullius pretii et dignitatis fuisse videtur. Hic memorare juvat ex Veterum scriptis formosam Glycerem quæ pictoris Pausiæ amorem simul et ingenium excitasse refertur (1). Certabat enim pictor penicillo imitari perpulchros florum fasciculos quos illa provocationis causâ iterum atque iterum componebat. Ea quæ supra diximus de Glycere prædicavit Plinius, atque hoc amplius hujusmodi benignam contentionem quasi pugnam inter naturam et artem fuisse : unde mulierem istam sine certâ lege, arbitratu tantum suo, hos fasciculos composuisse facile colligi potest. Cæterum quæcumque fuerit illius mulieris excellentia, ex uno tantum exemplo, patet artem floralem pene ignotam fuisse apud Veteres, nedum exstitisse dici possit, siquidem tanti faciebant hanc rarissimam elegantiam quæ casu mulierculæ animo acciderat.

Quanto magis similis fuit Recentiorum conditio, quos christianismus a naturæ studio averterat. In Europâ, maxime excultis eruditisque temporibus, artis præstantissimus quisque, flores pingendi et a fortiori fasciculos componendi arte pro servili opere habitâ, summo studio ad humanam speciem pingendam vel fingendam animum intendit : nec vulgo alia mens esse poterat. Hisce temporibus, apud Occidentales vel excultissimos, cuinam usui sunt flores ? Haud secus ac Veteres, eorum tantum odorem et colorem, secundarias scilicet proprietates appetimus. A coronariis incompte colligantur in rudes fasciculos

(1) *Stephanoplokos* titulus est tabulæ quæ a veteribus Pausiæ summa manus habebatur. In eâ Glyceris sedens semitecta et nitidis floribus coronam nectens picta erat.

quorum amplissimo et fulgentissimo cuique laus prima, res horribiles visu quarum aspectus puerilis pulchritudinis negatio est : si forte contingit ut elegantius rectiusque sentiamus, naturalibus quidem floribus, ast incompte, sine lege, in fasciculos colligatis et in quolibet vase positis, domos nostras ornamus. Quidquid sit, flores appetimus, non ut finem, propter pulchritudinem in se consideratam, sed tantum ut media quædam, quibus certi in societate usus observentur : scilicet sive domorum nostrarum ornatus compleatur, eadem ratione quâ in eis ingeniose confecta velut in officinis congerimus, sive symbolico more amorem et desiderium nostrum exprimamus, quum mercenariâ manu ad sponsæ habitaculum candidam rosarum sarcinam præmittimus, vel amicorum feretrum coronis triste gravibus oneramus. Hocpote quidquam barbarius ? Sic nec ex Veterum scriptis, quibus instructi et quasi enutriti fuimus, nec ex usu vitæ quotidiano certam exquisitamque floralem artem existere posse colligere valemus.

Mirum igitur non est quod, quum recens ad Japoniam appulso Europæo primum occurrit japonica compositio floralis, pro ambitioso insolitæque formæ ornamento habeatur. Sic apud Occidentales, rustici, qui primun ludis scenicis ceu « Opera » intersunt, hanc insolitam artem, quâ graviter in morem cantici vox ducitur, ridere solent. Barbaro igitur nostro res illa mire facta ludibrio erit. Ut risui succedat admiratio, judicium ad rem insolitam accommodari, quasdam artis regulas intelligi, quasdam arbitrarias leges accipi, tandem per inhærentes cuicumque arti fallacias ad pulchritudinem absconditam pervenire necesse est. Hâc autem animi mutatione factâ, visu mirabile ! in quâlibet japonicâ compositione florali,

vel humillimâ, subito palam fit et efflorescit hucusque ignota ars, cognitu difficillima, utpote quæ a nobis acceptis artium generibus non contenta : cujus inopinata revelatio statim novâ luce pulchritudinem illustrat. Exinde palam fit quid sint nostri fasciculi, collati cum his mire factis floralibus compositionibus quæ tantâ excellentiâ præstant ut vix cum illis quædam habere communia dici possint : minime tunc miramur si Japonensibus, summæ artis fastigium adeptis, nostra rudia inchoataque contemptui et ludibrio sunt. Igitur statim ac animadverteris inter utriusque generis florales compositiones quanta differentia sit, rem floralem ad artem pertinere non dubitabis, et hujus artis rationem aliam esse non posse quam ab eâ gente instituta est.

Hic efflorescit ars certa, cui magna scientia subest, legibus suis constans, quæ haud secus ac tabulas pingendi, domos ædificandi vel versus componendi ars, proprio nomine gaudet, quippe quæ definitur « ars plantas perite componendi » (1). Longe differt a nostrâ flores componendi ratione (2) : hic mos non est colligare incompte in

(1) *Hanaike*, active sumptum, significat : flores disponere; *Ikebana* passive sumptum, opus confectum designat. Vox *hana*, quæ proprie valet *flos*, latius patet in arte florali, quippe quæ designat caulem, ramum, vel etiam plantas aut arbores perpetuo virentes, quocumque genere sint. Sic bambosæ caulis aut pini ramus pro flore habetur ; acer inter « autumnales flores » annumeratur ; et folia sæpe sæpius ad compositionem floralem Japonenses pluris faciunt quam flores ipsos.

(2) Istiusmodi flores disponendi ratio summatim ab omnibus magistris prohibetur. Exempli gratiâ : « Simplex et naturalis sit compositio floralis : ideo evitanda est partium alternata paritas, rejicienda similitudo, prohibendi sunt fasciculi vinculo circumcincti. Sin aliter compositio floralis naturæ repugnaret. » (Ex libris citatis n° XXXIII, p. 90.) Vel etiam : « Inter multas prohibentes regulas quæ versantur circa com-

fasciculos flores, arreptis foliis, caulibus absconditis, recisis, mutilatis, ad id tantum servatis ut vinculum sustineant, quo informis manipulus stringendus est. Hic non cernere est congestas sine lege moles, e quibus, floribus graviter densatis, color moleste paret sine temperamento, vix filice aut virentibus foliis circumcinctas veluti cingulo, quo colorum acuitas magis augeatur. Nec etiam amplius juvant communes florum fasciculi sine lege compositi, quos nostratum cultiores maxime probant. Neminem ex japonensibus latet florem, recisâ stirpe, arreptis foliis quibus totum opus florale unum quid et idem constituitur, genuinam naturam propriamque pulchritudinem amisisse. Secti igitur rami, quorum suam quisque servat naturam, disponuntur juxta regulas formarum colorumque compositionis longo experimento probatas, ponunturque in vase apte floribus recipiendis accommodato. Perite curvantur rami, juxta lineas scite ductas, ita ut in aere appareat quædam tenuis, severa, mire facta floralis compositio, severe simul et apte disposita ad oculorum voluptatem. Sic floribus opus perfectum conficiunt Japonenses, haud secus ac architectus ex materiâ quam natura suppeditat domum ædificans, naturam ipsam opere suo antecellit.

Ars floralis apud illam gentem omnimode artibus et doctrinis instructam, a quâ originem accepit, in magno honore meritò habetur, maximam partem in omnibus societatis officiis habet (1), omniumque laudem sibi parat :

positionem floralem, quædam evidentes sunt : talis est regula quâ evitanda est partium alternata paritas et rejiciendi sunt fasciculi vinculo stricti ; etc... » (Liber nº III, p. 18.)

(1) « Illud vos admonitos esse volo, artem scilicet floralem optimo cuique necessariam esse, tum ut animum suum virtute instruere, tum ut eos civiliter excipere possit quibus honorem tribuere vult. » (Nº III, præfatio.)

in artium corona suum locum obtinet, et ideo aristarchi europæi inter illas artes hanc non annumeraverunt, quia artem a solis japonensibus excultam et acceptam admittere non ausi sunt in artium descriptionem, quatenus ista præjudiciis nostris fundata est. Sed in hac regione amœna, cujus incolæ in arte quasi vivunt, quo jure, quâve ratione quæque ars aristarchi cujusque admirationem moveat, parum curatur; vel inter artes, quæ liberales, quæ illiberales sint judicare parvi refert : juvat quæque pulchritudinis species, suâpte naturâ, seclusâ cujusque scholæ consuetudine. Ars igitur floralis in Japoniâ semper pro operâ maxime laudatâ ab omnibus habita fuit : non tantum penes mulieres remansit, sicut apud Occidentales sive antiquos sive recentes, siquidem semper pro re virili et forti reputata est. A mulieribus quidem exculta fuit, utpote quæ ab initio apud omnes matronas optimates viguerit, nec ætatis nostræ cuique optimatum puellæ ignota est : nec etiam inter illas defuere olim mulieres hujus artis probatissimæ, quæ plurimum arte valuerunt, et memoriam apud posteros adeptæ sunt (1). Attamen ars floralis tantum ut ars ludicra et pars liberalium studiorum, perinde ac apud Occidentales musica et pictura, semper habita est. Quum autem musica apud Japonenses vilioris notæ, et præsertim penes saltatrices vagasque cantatrices esset, curandum erat puellæ optimatum animum ad aliquid studium adjungerent : quarum ingenio et conditioni artis floralis initia apte convenire videbantur. Illius autem operum inventricis summæ artis excolendæ, qualis est apud

(1) Prima omnium est Yôkihi, Sinæ imperatoris concubina, quæ ineunte sæculo octavo ætatem agebat. (XIX, p. 21.) — Numerari etiam possunt ex recentioribus Shihòan Tomi et Tchiôshôsaï Itchici, quarum quidam exstant libri (XVI et XXXII).

nos megalographia aut fuga, impares erant mulieres. Ad hanc summam artem scite excolendam, augendam et renovandam eâ opus erat magnâ creatricique intelligentiâ (1) quæ viri solius propria est. Quapropter hujus artis sacerdotes fuêre probatissimi maximâque arte pollentes artifices, illiusque fideles præstantissimi viri, nec domi militiæve cuiquam secundi sui sæculi. A philosophis, sacerdotibus, monachis celeberrimisque litteratis, in studio vel cellulâ, ita exculta fuit, ut ex sapientum domibus magnificorumque templorum aris quasi redolere videretur. Huic patuêre amplissimæ optimatum ædes, quibus gravi et austero ornamento erat : nec etiam defuêre principes, qui, vel annis provecti, vel ob civiles causas a republicâ exclusi, eisdem manibus quæ olim tam fortiter sceptrum et gladium sustinuerant, eam excoluerunt. Descendit ad plebem, ruricolas scilicet et opifices, illiusque variis floribus tum pagorum tuguria fumo sordida, tum civitatum depressæ tabernæ spiraverunt. Auctores et duces fuêre viri, præclari artifices, quibus summa omnium observantia nunquam defuit : principum laudem simul et tutelam adepti, et sæpe sæpius propter ingenium majorem quam pro genere dignitatis gradum assecuti, præstantissimi artifices sapientissimique viri, quibus ars sacra res erat, nec aliud fuit curæ quam ut hominum animos pulchritudinis studio meliores facerent. Horum discipuli a magistrorum laude non desciverunt, nec hisce temporibus in Japonia desunt senes venerabiles, artis floralis magistri, nobili genere fere semper nati, litteris philosophiæque

(1) Distinguunt magistri, ut ex illorum libris videre est, opificem, qui tantum leges ab aliis præfinitas adhibet ad floralem compositionem, artificem peritum, et tandem artificem præstantissimum, vique fecundâ præditum. (XIV, p. 21.)

債diti, tum in litteratura sinica, tum in veterum sapientum doctrinis multum versati, optimo et doctissimo quoque familiariter utentes, humani, placidi, usuque vitæ docti. Forsitan altiores spiritus gerunt contra æmulas scholas, verba principiaque artis mordicus tenentes, nimio zelo quædam sibi arcana reservant et apud se tegunt : attamen non vera carent humilitate (1), præsertim in familiarium congressionibus, semperque student esse discipulorum quasi secundarum, ut hi, laudi datâ compositione florali, in quâ tamen magistri docta manus clare apparet, animi plus habeant. Illos maxime juvat pulchritudinis studium, blanda mentis gaudia, cura docendi artem amœnam, et visendi aut exhibendi floralia opera. Illis perdulce est congressiones agere, in quibus præjacente horto amœno, thæo et tabaco indulgendo, de philosophiâ disputatur, per loca sola vagari, in quibus carissimas plantas datur speculari, de arte florali libros et descriptiones edere, floralia

(1) Si libros qui de arte florali tractant, legeris, nihil magis mirari poteris quam hanc veram modestiam, cujus apud artifices magna penuria est. Circa hanc rem, vide proœmia omnium librorum quos ad librorum indicem retulimus. Hic, exempli gratiâ, referre juvat præfationem libri celeberrimi magistri, Kòsesai Ghempo, qui inclitæ scholæ Mishiô inventoris discipulos præter omnes insignis fuit : « Quum a puero arti florali toto animo me dedissem, magister meus me sibi vicarium accipere non dedignatus est. Tunc postquam multas provincias perambulavi, veni tandem in Ice ad visenda sacra delubra majorum imperatoris, et hic decem annos moratus sum. Hic cum magno animi dolore cognovi de morte venerabilis magistri Mishiô ; mihi autem pergratum fuit quod illius nominis hæres Itchihô, illius artis ipse hæres sit. Quâdam die natale solum revisere cupiens, omnibus discipulis meis valedixi : illi autem abitum parantis solendi causâ ducentas florales compositiones juxta diversas scholæ nostræ rationes confecerunt. Quomodo dignas illis grates persolvam ? Omnes has compositiones florales describi jussi ad perpetuam memoriam : hinc venit liber quem hodie sociis ac participibus artis offero. » (XVII.)

opera commodo suo plurima arte conficere, denique semper cum naturâ contendere eamque, quamvis amantissime, vincere : veri artis antistites sunt, quorum tranquillam dulcemque vitam satis mirari nequimus.

Ex iis omnibus facile intelligi potest Japonenses artem floralem ut omnium virtutum fontem et causam habuisse (1) et ad hanc semper animum intendisse ut pulchrum simul et bonum adipiscerentur. Hoc probatur ex mutatis antistitum hujus artis nominibus, utpote quæ semper ex cujusdam plantæ nomine conjuncto cum cujusdam virtutis nomine constat (2), magisque etiam illustratur horum vere sapientum vitæ exemplo. Denique ars illa, ut fusius infra dicam, intimam relationem habet ad antiquam thæi solemnitatem, a quâ non abest quædam ratio moralis et philosophica. Manifestissime autem probatur paginulâ bonorum quæ, juxta magistrorum libros, artis floralis studiosum quemque manent. Hæc bona ad decem reduci solent, quæ sunt amœna consuetudo cum dignitate antecedentibus, facilitas et dignitas coram optimatibus, animi serenitas curis vacuæ, animi oblectatio in solitudine, plantarum arborumque ingenii cognitio, observantia erga homines, continua animi æquitas, corporis animique sanitas, sensus religionis, passionum continentia (3). Ex

(1) Exempli gratiâ : « Ars floralis requirit et docet summas virtutes. Hujus artis studiosus quisque a suâ familiaritate improbos prohibeat. » (XIV, vol. 2, præfatio.)

(2) Exempli gratiâ, nomen Shoôsai, quo vocatur celeberrimus magister Semmba Riho, ad verbum significat « cellam pini », et sic exprimit quamdam relationem (*ô*) inter illius cellam (*sai*), id est illius artem ipsam, et pinum (*sho*) quæ pro arbore puritatis habetur et in magno honore est apud omnes sectatores illius scholæ.

(3) *Koishikko* ; *sejijô jôko* ; *mouitannen* ; *dokourak ni kataraz* ; *sômok meitchi* ; *shoujin aïkiô* ; *tchobo fouriou* ; *sekon gôjô* ; *shimbouts haizô* ; *shoouak ribetsou*. (XIV, introductio.)

illis decem bonis quædam tantum privilegia a regibus et principibus expetenda, quædam animi solam relaxationem spectant; plura autem maximas virtutes officiaque vitæ vel privatæ, vel publicæ, vel religiosæ spectant. Certe equidem plurimi facienda esse videtur ars illa, cujus causâ, veteris saltem cujusdam judicio, mens humana fit serena sicut mons excelsus, pura ut æqua torrentis, sublimis ut præceps (1). Hic igitur voluptas datur tantum ut fundamentum perfectæ felicitatis, quæ unum quid et idem fit atque virtus. Pulchritudo animos purificat sternitque viam ad virtutem, ita ut ars et ethice apte inter se coalescunt : ubi sit via, ubi finis, anve ars ancilla tantum sit ethices, judicare parvi refert. Ars et ethice apte licet confuse inter se concinentes, freta utraque alterius auxilio, uno eodemque impetu ad idem tendunt.

Qui de arte florali scripserunt magistri, ad Veterum philosophiæ systemata præcepta sua direxerunt. Advocant enim systemata shintoismi, buddhismi et confucianismi, quorum summis principiis per fas et nefas ad flores apte disponendos utuntur. Hanc exquisitam tenuemque artem abstractis legibus, quarum gravitate quandoque obruitur, dirigunt. Sic in eorum libris passim apparent, non solum antiquæ superstitiones, utputa vis bona vel malefica quibusdam plantis imputata, nec tantum etiam quædam ideæ morales, utputa virtutum nomina floralis compositionis diversis partibus indita (2), sed etiam genera elementorum et phenomenatum (3) quæ pertinent vel ad religionem vel

(1) III, initio præfationis.

(2) Vide, exempli gratiâ, confucianisticam descriptionem (caritas, justitia, urbanitas, sapientia, fidelitas), in XXXIII, p. 49.

(3) Hoc genus descriptionis invenitur in omnibus libris qui de arte florali tractant. Vide XI, p. 3 seq.

ad philosophiam. Ex istis elementis et phenomenatibus nomen inditur supradictis partibus præcipuis, quæ Cœlum, Terra, Humanitas vocantur, si tres sint; vel Terra, Ignis, Aqua, Metallum, Lignum, si quinque sint; vel Terra, Cœlum, Humanitas, Sol, Luna, Planeta, Stella, si septem sint : insuper et præsertim in his libris videre est hanc summam omnium naturæ rerum divisionem juxta duo summa principia, id est principium positivum et principium negativum, principium agens et principium passivum, principium masculinum et principium femininum (1). Famosa illa distinctio, quâ Japonenses semper utuntur quotiescumque duæ res, utputa duæ cataractæ, duæ petræ una alteram vi, mole aut altitudine superante, inter se propinquæ sunt (2), primo adhibita fuit ad artem colendi hortos, qui in hâc regione naturam illiusque præcipuos aspectus referre solent, tandem defluxit in artem floralem in qua ad designandas tum formarum tum colorum oppositiones usurpatur. Sic quidam philosophiæ spiritus huc

(1) *Yô* (principium masculinum), *In* (principium femininum).

(2) Cataracta masculina, *ô taki*, et cataracta feminina, *me taki*; rupes masculina, *ô ishi*, et rupes feminina, *me ishi;* etc... — Istiusmodi duplex principium *In* et *Yô* multis et variis rebus usitatum est. In arte florali sæpe sæpius usurpatur ad designandas oppositiones rerum, ut passim in isto opere videre est. Cæterum ut facile intelligi possit quousque late pateat hoc principium, satis abundeque erit hic referre nonnulla excerpta cujusdam libri quem auctor ipse Shoôsai nobis exhibuit : « Ut principium positivum et principium negativum in naturâ rerum apte inter se concinunt, sic omnes imperii ordines optime inter se conveniant necesse est. Ut autem hæc concinentia tum in imperio tum in familiâ floreat, adhibendæ sunt caritas, justitia, fidelitas et pietas filialis. Similiter videre est hanc concinentiam in nistariæ sinensis aut iridis violaceo colore et in ductu ramorum salicis. Idcirco has plantas ut fundamentum institutionis nostræ elegimus. »

et illuc effluens hanc venustam artem interlabitur. Vicissim ars floralis quandoque philosophiæ auxilium præbet : etenim mille trecentis abhinc annis ex florali compositione mire factâ et allegorice dispositâ a principe Shotok Taishi, imperator Bitats summa philosophiæ principia intellexisse dicitur (1).

Ex iis omnibus artem floralem, haud celerius cœptam, diu crevisse facile intelligi potest. Quapropter unde orta sit et quibus gradibus aucta ac progressa fuerit, narrare longum et difficile esse nobis videtur. De hâc re tamen nonnulla quærere nobis visum est : rati enim sumus fore ut historia hujusmodi artis, tam longe a nostrâ consuetudine alienæ, multa nova et rara offerat quæ tum artis, tum societatis japonicæ historiam novâ luce illustrarent. Solum enim floris naturam constituit et vicissim a flore determinatur.

Veterum artis floralis magistrorum libros perscrutanti tot inter se pugnantia et absurda circa originem hujus artis occurrunt ut quisque, inter innumerabiles poetarum fictiones (2), pro arbitrio suo, elegisse videatur quamdam fabulam, modo antiqua sit et ingeniosa, unde artis floralis repeteret originem, et in artem suam quidquid potuerit titulorum nobilitatisve congereret. Etenim juxta quosdam, ars floralis originem ducit ab Amateras solis deâ, quæ primum tenet locum in eâ longissimâ serie majorum, a quibus directo limite recens imperator oriundus est. In principio, universus orbis in quâdam rudi informique ma-

(1) XIV, p. 21 et XXXIII, p. 91.

(2) Has poetarum fictiones reperies in *Kojiki*, seu « priscarum rerum historia », anno septingentesimo duodecimo æræ christianæ scripta. Antiquissimus est ex libris japonicis et quodammodo ut Biblia Japonensium haberi potest.

teriâ haud secus ac vitellus in ovo, fluctuabatur. Paulatim ex informi unitate mundo in ordinem discedente, illius pars levissima efflata est et formavit cœlum, densissima autem in terram coacta est. In medio calido luto, primum unus, deinde mille alii dii suâpte naturâ nati sunt, qui mox substantiam omnem in quinque elementa diviserunt, quæ sunt terra, ignis, aqua, metallum et lignum. Postremo apparuit mirum illud par, id est principium masculinum et principium femininum, Izanaghi et Izanami, frater et soror qui inter se matrimonio juncti, insulas japonicas procrearunt. Interea deus Izanaghi, quum amissam conjugem frustra quæritasset, perinde ac Orphæus quærens Eurydicem, penetravit sub terras, ibique quum nihil aliud quam molem putrefactam invenisset, horrescens evasit ad auras superas. Quum ad flumen descendisset ut se lavaret, novi dii ex illius vestimentis super ripam positis nati sunt, illiusque corpore tres majores dii emanaverunt, scilicet ex oculo sinistro solis dea, ex dextro lunæ dea, denique ex naso Szannoô seu mas vehemens. Inter tres natos universum orbis imperium divisit : mox autem quum gravia exarsissent jurgia inter Amateras et Szannoô, quâdam die major natu soror a fratre minori natu gravissime læsa, secessit in cavernam cujus ostium magno lapide clausit, tenebris super universum orbem factis. Frustra octies centum millia deorum, promittentes se punituros ejecturosque sontem, rogaverunt eam ut denuo faciem suam ostenderet : quum nulla prece moveretur, astus advocati fuerunt. Continuo dii organa conficere, versus componere, choreas instaurare, tandemque manibus ferentes ramos arborum ad antrum solis deæ venire et festum genialiter mirificeque agere : sic pervicerunt deam ut exiret. Hinc variæ venêre artes et præcipue ars floralis.

Hanc fabulam (1) a plerisque advocatam (2) referre juvit, quippe quæ vivida et subtilis est. Plures autem aliæ fabulæ ab aliis traduntur : juxta quosdam (3) ars floralis posterius inventa fuit, tempore deorum e quibus genus imperatorum propagatum est, inter eos tamen non primi sed quarti tempore, quum Hikohohodemi-no-mikoto, palatium maris dei Ouatadzoumi obeundi causâ, deo varias res ad epulandum exquisitissimas simul et florum fasciculos in pretiosis vasis positos obtulit, optans prosperitatem illi prorogari sicut vita floribus aquâ conservatis. Juxta autem alios (4) posterius etiam, ex Coreâ ab imperatrice victore Djinghô introducta fuit. Sed notare supervacuum esse duco non solum traditiones istas sed etiam res circa quas versantur falsas esse, etsi a rerum japonicarum auctoribus, in judicando quæ vera, quæ falsa sint tam rudibus, hisce etiam temporibus pro veris et certis habeantur (5). Neminem enim fugit eo ipso tempore artem floralem ortam fuisse, quo plantarum studiosus quidam, horto carens, intra tecta quosdam flores comportavit et in vili testâ posuit (6).

(1) Vide initium *Kojiki*.
(2) Exempli gratiâ, XIV, vol. II, p. 24.
(3) XXXIII, p. 91.
(4) VIII, introductio.
(5) Istiusmodi credulitas non est propria solis Japonensibus. Etenim quidam doctor germanus, Hoffmann nomine, orientalium rerum scientiâ non mediocris, nuperrime ingenuâ gravitate quærebat quânam horâ anni sexcentesimi sexagesimi ante Christum imperator Djimmou Tenno in regnum pervenisset. Minus sane ridiculum esset quærere quânam horâ anni quadringentesimi vicesimi æræ christianæ Pharamundus noster regnum adeptus sit.
(6) Hoc bene illustratur quodam elegantissimo proœmio, anno millesimo octingentesimo duodecimo æræ christianæ, in quemdam librum Teshosai Itchiba, a sinicarum litterarum magistro, Kokiôro Shoujin

Nihil fere certi in japonicis annalibus invenies ante secundam partem quinti sæculi æræ christianæ, quum, ex Sinâ, mediâ Coreâ, bonarum artium studiis subeuntibus, annales fere certi primum confici potuerunt (1). Ex eo solum tempore possumus investigare quomodo ars floralis in morem communem venire cœperit et quibus gradibus evoluta ac progressa fuerit. Sed in istis annalibus, quot et quantæ tenebræ adhuc sunt ! Attamen in artis floralis processu, tres generales periodos distingui posse ducimus, quarum sua cuique inest ratio propria. Prima periodus, quæ proprie religiosa fuit, a buddhismo ex Sina in posteriori parti sæculi sexti nongentos annos complec-

nomine, scripto : « Quum in loco Hakousan essem, colebam hortulum in quo semper novi flores nascebantur. Quot versus hic componere mihi contigit ! Nullam rem publicam agebam et malâ honorum cupiditate quâ vulgus flagrare solet, prorsus carebam. Quam dulce erat, floribus cujusque temporis propriis dehiscentibus, passim vagari et odores haurire ! Hanc naturalem voluptatem optimatum divitiis anteponendam esse existimabam. Sed hei mihi ! sæpe sæpius de docendis litteris rogatus, ad extremum manus dedi, et ideo necesse mihi fuit domicilium transferre in frequentem civitatis locum, ubi parva soli particula grandi pecuniâ stat. Hinc hortulo nihil loci est, nec propter litterarum professionem mihi ulla relinquitur ambulandi facultas. Ast quum amore florum captus sum, in vasis ad recipiendos flores in cubiculo collocatis plantas dispono, artique florali indulgeo. O mihi quam dulce visere florescentes caules quum tum orientis solis lumine clarescunt, tum pernocte lunâ tenues umbras jaculantur odoresque fundunt ! Quum illis aquam puram infundo, animus meus puritate impletur. Longe aliter ac quum hortum colebam, mihil laboriosum est : jam non pluviam aut ventos contrarios timere est. O quam mihi arridet ars illa !.... » (VII.)

(1) Hos annales, ab historiographis in omnes imperii provincias missis scriptos, præsertim in libro cui titulus est *Nihonghi*, seu « rerum japonicarum historia », reperies. Hic liber anno septingentesimo vicesimo post Christum scriptus est sinicis characteribus, qui apud japonenses pro latinis valent.

titur ; secunda, quæ magis luxuriosa fuit, a magna renovatione artium, id est a posteriori parte sæculi quinti decimi incipiens, plus quam centum annos tenet ; tertia autem, quæ maxime artificiosa est, ab exeunte sexto decimo sæculo usque ad ætatem nostram extenditur.

Non levis momenti rebus nititur ea traditio, juxta quam a buddhismo sinicorum monachorum opere ex Indiâ in Japoniam introducto (1) artis floralis origo repetenda esse videtur. Etenim, ex unâ parte, certum est hunc in buddhismo ritum fuisse, ut in aris deorum flores ponerentur. Quâ ratione ? An tantum ex hoc cujuscumque religionis ingenio quo quædam diis ab hominibus offerri necesse est ? Cui rationi nihil conformius quam ista florum oblatio, quum buddhismus ne animalia viventia occiderentur prohiberet. An autem, ut nonnulli inter Japonenses opinantur (2), tantum ut benevolo animo floribus vita propagaretur ? Nec inverisimile est, attentâ miseratione quâ buddhismi sectatores universam rerum naturam prosequuntur : ad quod accedit quam cito torridâ temperie regionis, unde hæc religio initium cœpit, virentia destruuntur. Ex alterâ autem parte non minus certe constat celeberrimos fuisse buddhismi sacerdotes qui tum religionis officium præstandi causâ, tum innocenter jucundeque animum remit-

(1) In anteriori parte sexti sæculi æræ christianæ. (Anno quingentesimo vicesimo secundo primum templum buddhisticum in loco vulgo Sakatahara dicto, in provinciâ Yamato erectum fuisse, et anno quingentesimo quinquagesimo secundo Japoniæ imperatori a quodam Coreæ rege libros sacros primum missos fuisse dicunt.)

(2) Vide XIV, in quo repræsentatur Shaka (sic a Japonensibus vox Çakia-mouni pronuntiatur) opus florale conficiens et dulce ad flores ridens, p. 21.

tendi causa, florali arti indulserunt. Jam paulo supra Shôtok Taishi (1) exemplum, et per allegoriam docendi rationem memoravimus. Porro magnus ille vir, qui, spreto regno, monachismum professus est, et exeunte sexto sæculo ad propagandam novam religionem recens inductam plurimum laboravit, in arte florali multa nova inferendo famam sibi etiam acquisivit. Ferunt a puero illi in oblectamento fuisse ponere in septem vasis specie diversis virentia juxta solum quo nata erant disposita, utputa campestrem plantam, campestrem arborem, silvestrem plantam, silvestrem arborem, montanam plantam, arborem montanam, et aquaticam plantam. Hoc nihil specie puerilius, revera autem nihil notatione dignius est, quatenus hic clare indicatur ratio compositionis floralis quæ postea obtinuit, juxta quam, etiam in floralibus operibus in quibus maxima ars apparet, servanda est distinctio a naturâ ipsâ inter varias plantarum species quæ aliæ alio solo gignuntur. Habetur etiam ut inventor hujus floralis compositionis quæ in uno caule unum tantum florem gerenti scite et perite disponenda consistit (2). Certe equidem in his tirociniis quibus delectabatur magnus ille vir, acer in rebus gerendis, minister consiliorum, non raro impacati imperii omnium rerum administer, protector præstantissimæ religionis cujus novus Constantinus fuit, et cujus gratiâ prope innumera templa et monasteria ædificavit, perdoctus, utpote qui præcepta de vitæ officiis tradidit et primum calendarium instituit, rerum publicarum sollicitudine et philosophiæ studio distractus, deos honorandi simul et animum recreandi studio ars semper posterior

(1) 572-621. — Vide XXXIII, p. 91.
(2) *Itchizin-ike.*

fuisse videtur ; nonnulla tamen artis floralis essentialia principia suspicatus est, plurimaque nova et ingeniosa docuit, ita ut apud omnes qui de hâc arte scripserunt, inventoris nomen et laudem adeptus sit. Postea per octingentos annos ars floralis penes buddhisticos sacerdotes remansit. Hoc tam immensum japonicæ historiæ spatium duas periodos specie longe dispares complectitur (1) : in primâ periodo, quum quieta omnia a bello essent, sapientum animi potissimum rebus divinis intenti fuerunt ; quædam artes equidem, ut poesis et musica, hoc tempore, multum progressa sunt ; ars autem floralis nihil aliud fuit quam pars deorum cultûs. In secundâ autem periodo quum omnibus rebus fere sine intermissione bello civili turbatis, enses cadendi ars plane absoluta et consummata evasisset, flores in acie pugnantium pedibus calcati, tantum sub amicâ monasteriorum templorumque tutelâ florescere potuerunt. Attamen ars floralis sacerdotum studio paulatim progressa est, præterque cæteros maxime laudantur duo buddhistici sacerdotes qui huic plurimum addiderunt. Unus, cui nomen Gômio-Shôzo (2), exeunte octavo sæculo æræ christianæ, deambulando per montes Mino, novam flores disponendi rationem juxta quatuor præcipuas lineas invenit. Auctor est etiam primæ partis litteraturæ japonicæ (3) quæ cujusdam buddhisticæ sententiæ arcanum sensum tegit : « Omnes homines nascuntur sicut flores qui dehiscunt ; sed vanitas vanitatum, omnia vanitas, sicut flores qui marcescunt. » Alter autem, Miôe-

(1) Duæ istæ periodi fere totidem annos complectuntur.

(2) Obiit anno octingentesimo tricesimo quarto. — Vide illius vitam in V, vol. I, p. 2.

(3) *Hira-gana* seu litterarum ordo, inventus paulo post *kata-kana*, qui ipse a sinicis characteribus ductus est.

Shônin (1) nomine, exeunte duodecimo sæculo, quinque et septem linearum opera floralia componendo (2), Gômio systema perfecit. Insuper in japonicis annalibus nomen illustre acquisivit serendo in locis Togamô et Oudji japonice dictis, unde famosæ segetes exortæ, semina thæi ex Sinâ importata, ita ut ad instruendam « thæi solemnitatem » (3) maximo adjumento fuerit. Hæc solemnitas, post non multo, favente aulâ principis, ad publici instituti dignitatem evecta, ad artem floralem ipsam renovandam perficiendamque multum contulit.

Nunc ergo si hujus primæ periodi compositiones florales uno intuitu summatim consideramus, duas invenimus rationes seu vias præcipuas componendi flores. Juxta primam rationem, quæ japonice Shin-no-hana dicitur, rami et folia disponuntur circa altum rigidum et in verticem pergentem caulem : rami vero secundarii circa principalem certo ordine dispositi, non curvari debent sed servant suum proprium habitum. Ad hanc rationem conficiuntur hisce etiam temporibus hi ingentes tum naturalium tum manufactorum (4) florum fasciculi quibus templa et tumuli decorantur. Altera autem ratio nomine Rikka, id est, dispositio in quâ flos oblique erigitur, in eo cum priori discrepat quod principalis linea, non amplius

(1) 1173-1232. — Vide illius vitam, in V, vol. I, p. 5.

(2) Postquam invenit quinque linearum systema, dicitur « confessus fuisse opus suum apte cohærere sicut anima ipsa Buddhæ. » (V, vol. I, p. 5.)

(3) *Tcha-no-you.*

(4) Exempli gratiâ referri possunt floralia opera quæ in Nikkô, in delubro mausolei Iyeyas, cernere est. Hic stant, in magnis vasis argento solidis, proceri caules bambusæ, rami cerasi, et magna folia loti, ad naturæ modum et ex auro ita mire facta, ut opus materiam ipsam superet.

ex mediâ compositione florali in verticem assurgens, semper e centro rejecta oblique ducebatur, lineis autem secundariis, scilicet ramis arborum, plantis et gramine, subter confuse inter sese implexis et in patenti vase plerumque orthogonio, quasi in agellulo, permixte virentibus (1). Ne multis morer, juxta Shin-no-hana rationem confectum opus florale arboris speciem, Rikka autem compositio floralis hortuli speciem referebat. His autem antiquis flores componendi rationibus nonnulla erant communio, quibus a systematibus quæ posterius in Japoniâ invaluere, abhorrentes, haud multum a nostratum ratione aberant. Etenim juvabat utriusque rationis artifices pro arbitrio suo plantas quam maxime diversas in unum commiscere et ad compositiones specie vel diversissimas symmetriam adhibere, nec unquam illis ad superiorem pulchritudinem obtinendam ramorum rudes lineas flectendi ulla cura fuit. Eos haud secus ac nostrates latuit, quum universam rerum naturam unâ imitatione consequi impossibile sit, eam potissimum eligendam esse materiam quæ maxime idonea sit, et ante omnia vitandam esse symmetriam quâ nihil a naturâ ipsâ longius est : non illis venit in mentem ramum, licet manu curvatum, suæ speciei propiorem esse posse quam informis et recisus, prout gignitur, ramus. Attamen veteris scholæ artifices quasdam notiones acquisiverant quibus a puerili et inchoatâ nostratum fasciculos componendi ratione discrepantes, recentiorum simile quidquam habuerunt. Etenim quâ ratione ad invicem referri et convenire deberent pars primaria et partes secun-

(1) Ut in scholâ Shinno-hana, ita etiam in Rikka scholâ, secundarii rami, haud procul ab inferiori parte floralis operis, non raro ad principalem caulem alligabantur. Exinde veterum systematum vias pueriles et maxime artificiosas fuisse compertum est.

dariæ compositionis floralis, compositio floralis et vas, opus florale et locus in quo ponendum est, jam definierant. Nec illos fugit illud varietatis principium, etsi imperite adhibitum fuit, juxta quod rami crassi et graves levibus et tenuibus additiciis ramis temperandi sunt; magnâ insuper artis sollicitudine, eximiâque ingenii spe præditi eminuerunt in ratione disponendi magna folia, eorum superiori et inferiori parte in vices versa.

Hunc in modum antiquis temporibus, sub tutelâ religionis progressa est ars floralis. Exeunte autem quinto decimo sæculo, quum omnes civiles artes quasi renovarentur, ars etiam floralis impetu quodam subito et inopinato emicuit. Jam omnibus bellis compressis, totoque imperio in pace composito, sùb shiôgoun Yoshimassa (1) omnium artium liberalium studiosissimo, tandem artis peritissimo cuique arti indulgendi, cæterisque res opere mirabili mirandi copia data est. Yoshimassa per luxum ætatem agens, operum probatissimos artifices magistrosque ad se accivit. Pictura, lyricum drama, ars colendi hortos, ars floralis simul et thæi solemnitas magnis auctibus crevêre. Omnes equidem illæ artes plus minusve aliæ ex aliis aptæ erant : attamen ea fuit arcta conjunctio (2) inter duas ex illis, thæi solemnitatem dico et artem floralem, ut de unâ tractari non liceat quin de alterâ mentio habeatur. Nihil notatione dignius quam duæ illæ japonici cultûs species, quarum unicuique eadem mira patientia, eodem pulchri et optimi desiderio artis peritissimus quisque unà indulgebat, quarumque studio hujus ætatis optimus et doctissimus quisque mirum in modum

(1) 1436-1490.
(2) Vide XXXIX.

delectabatur. Hic imprimis notandum est utrique arti nescio quid sacri inesse : etenim, hisce etiam temporibus, domus, in quâ thæi solemnitas agitur, buddhisticis sententiis ornanda est, neminique nisi purâ serenâque mente homini pervia est. Referunt studiose hujus solemnitatis zelotes memoriam cujusdam celeberrimi judicis, Itakoura Shighemoune, qui, ineunte octavo decimo sæculo, domi supra tegetes sedens et thæi machinariam molam manu circumagens ad placandum animum mentemque ab omni humanâ cogitatione sevocandam, jus exercere solebat.

Si has duas artes, quoad utriusque processum, ad invicem conferimus, distinguere possumus, meo saltem judicio, in thæi solemnitate tria tempora quæ, si non semper ratione temporis, saltem eodem ordinis successione cum illis, quas paulo supra in arte florali indicavimus, periodis conveniunt. In primâ periodo, thæi solemnitas proprie religiosa fuit. Etenim thæum, ineunte nono sæculo e Sinâ importatum a Denghio Daishi qui in buddhismo sanctitatis laudem adeptus est, primo fuit in deliciis sacerdotibus sectæ, japonice Zen nuncupatæ, qui ad excutiendum somnum in noctis officiis eo utebantur. Insuper, ut jam narravimus, alius buddhisticus sacerdos, cui nomen Miôe-Skônin, exeunte duodecimo sæculo, magno adjumento fuit ad renovandam propagandamque hujus plantæ culturam. Posterius autem, ineunte sæculo sequenti, pontifex Essai, oblato quodam tractatu, quem ipse « de salubri efficaciâ thæi » ediderat, et in quo multas regulas in thæo bibendo pie servandas proponebat, quemdam juvenem shiôgoun ab ebriositate liberavit. Exinde medicina et religio quoad thæi solemnitatem ita in unum coaluerunt, ut nunquam ad hanc solemnitatem agendam ullus conventus fuerit quin officium buddhisticum ad strepitum

tympanorum adolenteque thure celebraretur; hisce etiam temporibus thæi studiosissimum quemque sectæ Zenn (1) nomen profiteri maxime juvet. Secunda periodus processûs hujus artis prorsus congruit tempori, quod in tractando de arte florali jam attigimus. Jamdudum in posteriori parte decimi quarti sæculi, ad thæi solemnitatem agendam habitis congressionibus quam maximus luxus accesserat. Etenim qui solemnitati aderant optimi viri, inter aromata, cantus et choreas, in ædibus pretiosis textilibus sententiisque buddhisticis ornatis, tigridum et pardorum pellibus recumbentes, sacrum dilutum degustabant. Hæc ergo thæi solemnitas nihil præter religionis speciem reliqui habebat, ita ut jam laicam, venia sit verbo, factam fuisse dicere liceat; imprimis autem sequenti sæculo, imperante Yoshimassa, summum luxus apicem assecuta est. Luxuriosus ille shiôgoun in ædibus suis apud Higashiyama (2) cum pontificibus et artium magistris, per luxum et voluptatem ætatem agens, summopere studuit ut cœnacula thæi pretiosis et omnis ætatis et memoriæ magnificentissimis vasis adornarentur. Plurimum igitur contulit ad conficienda vasa formæ et materiæ diversissima, inter quæ annumeranda est floralis corbis (3) ex Sinâ assumpta, et effecit ut compositiones florales, vasis aptandæ, arte magis exquisita conficerentur. Sic occasione thæi solemnitatis, industria vasorum ad ornamentum multum progressa est; quæ vicissim in artem floralem plurimum profecit. Tunc temporis præstantissimi hujus artis viri fuêre Bounriô, Bouna, Sobai et præsertim Sennô.

(1) Hæc vox significat « contemplationem ».
(2) Apud Kiôtô.
(3) *Hana-Kagho.*

qui in ædibus shiôgoun artis floralis magister erat (1) : hi artifices longe ante veteris scholæ magistros exquisitâ arte insignes fuerunt; id facilius intelligi poterit ex eis quæ de vasorum formâ eorumque convenientiâ cum compositione florali fusius infra dicam. Circa hanc rem maximi momenti quædam statuerunt principia quæ postea ab omnibus studiose religioseque servata fuerunt : multa etiam in genere Rikka meliora fecerunt, et arenarii vasis (2) inventores fuerunt. Attamen nonnulla in illorum floralibus compositionibus requirebantur, nam luxus arti ipsi officiebat, nimioque studio rari et pulchri judicium labebatur. Ars igitur ad quamdam simpliciorem rationem revocanda erat ut perfecta consummataque evaderet.

Oborta est exeunte sequenti sæculo magna illa artium renovatio, a quâ tertia artis floralis periodus initium capit, periodum illam dico quæ maxime artificiosa est. Hic denuo apparet thæi solemnitas quæ primum proprie religiosa, deinde magis luxuriosa, tandem ejusdem hominis operâ, maxime artificiosa facta fuit. Etenim a clarissimo sapiente Sen-no-Rikiou utraque ars instaurata et quasi ab integro renovata fuit. Hic vir celeberrimus (3) discipulus fuit Shôo, qui fuit Shoukô, qui fuit Sôami, qui fuit Nôami, qui ipse a Sennô (4) profectus est. Vivebat tempore Hideyoshi (5) magni, Japoniæ novi Napoleonis, qui quum, Coreâ armis jam occupatâ, de Sinâ in suam ditionem redigenda secum agitaret, minime tamen patriæ morum oblitus, inter thæi

(1) XXXIII, p. 92.
(2) *Souna-mono.*
(3) Vita et opera illius ab omnibus qui de arte florali scripserunt celebrantur.
(4) XXXIII, p. 92.
(5) 1536-1558.

sectatores studiosissimus fuit. Etenim quâdam die quum jam ad bellum inferendum classes instrueret, consilio publico ex omnibus partibus imperii thæi amatoribus per generale decretum (1) advocatis, ad thæi solemnitatem agendam omnis ætatis ac memoriæ maximum conventum egit. Post aliquot annos victor rediens (2), in palatium apud Foushimi omnium scholarum (3) magistros convocavit ut ipsi, præside Sen-no-Rikiou, hujus solemnitatis leges definirent. Præfatus magister, eâ de re cæteris variis habitis sententiis, quoddam opus legum edidit, quæ postea ab omnibus servatæ fuerunt, quarumque summa ratio purâ et exquisitâ simplicitate insignita erat. Amantissime etiam artem floralem excolebat, diciturque quâdam die, in ipsâ acie in equario alveo mirificam floralem compositionem confecisse (4). Quam autem ad thæi solemnitatem agendam simplicem optimamque rationem instauraverat, eamdem ad opus florale conficiendum instituit, ita ut celeberrimæ scholæ kôriou dictæ, id est « veteris scholæ » (5), a quâ omnes posteriores scholæ ortæ sunt, meritò inventor et parens habetur. Hoc tantum in hoc sapientissimo viro requiritur quod, quum in omni re veteri peritus et exercitatus esset, quæstûs causâ, mercatoris more res vetustas et raras vendendo, ita optimâ scientiâ abusus sit, ut Hideyoshi vehementer offensus eum occidi jusserit. Atta-

(1) 1587.

(2) 1594.

(3) Ut artis floralis, ita etiam thæi solemnitatis magistri (*tchadjin*) varias scholas instituerant.

(4) VIII, p. 3, ad 5.

(5) Quia revera antiquissima est, ut ætas est recentiorum scholarum, quarum origo non ab antiquis systematibus Shin-no-hana et Rikka, sed tantum a Sen-no-Rikiou, harum recentiorum scholarum inventore, repetenda est.

men, pristinorum erratorum memoriâ jamdudum exsoletâ, a Japonensibus Sen-no-Rikiou sicut ab Europæis cancellario Baconi venia data est, illiusque memoria ad usque ætatem nostram omnibus ab illo profectis scholis sacrosancta est.

Schola vulgo dicta kôriou mox divisa fuit in varias scholas, quarum quæque, servatis tantum generalibus principiis, sibi proprii specialisque quidquam assumebat : hæ sunt scholæ Shinsho-riou, Sekishiou-riou, Djikke-riou, Misho-riou, Kôdô-riou, Sezan-riou et Enshiou-riou, quibus nomen vel a genere vel ab officio inventorum inditum est (1). Nihil prorsus naturæ congruentius quam ista divisio : etenim de die in diem morum et artium cultus exquisitior subtiliorque fiebat; porro sublatâ e medio cultiorum pristinâ simplicitate, nulla schola generalis existere potest quin sensim in multas varietates dividatur, quarum unaquæque sua proprietate signatur. Quum autem a Sen-no-Rikiou ipso omnia artis floralis essentialia principia jam præfinita essent, ab illo profectis artificibus nulla gloriæ acquirendæ via supererat, nisi rerum species renovando, verba mutando, novisque nominibus necessarias artis vias tegendo. Jam in perpetuum lex suprema prodita erat, quam, pro tempore nimis obsoleta expurgando, interdum recognoscere satis abundeque erat. Sic quum ad invicem conferuntur omnes a Kôriou ortæ scholæ, parum inter sese dissimiles esse videntur. Unaquæque artificum turma alicui magistro adhæret a quo veluti nova schola instituitur. Mutantur rerum species et formæ, dicendi et

(1) Verbi gratiâ, Sezan, cujusdam artificis nomen est ; Sekishiou, nomen provinciæ, cujus Sekishiou-riou scholæ inventor, præfectus erat.

interpretandi modus, sed ab eisdem rationibus semper proceditur et ad fines prope similes pervenitur. Ad id accedit quod quisque peritus quædam sibi arcana (1) reservare gloriatur, quæ veluti zelotypiâ laborans, apud se tegit, ac privatâ traditione electis tantum discipulis, cum ipse jam ad ultima vitæ venerit, committere velut depositum a profanis usurpationibus defendendum. Quicumque enim philosophiæ, religionis, artium aut litterarum studiosior, præstigiatoris jactatione et dissimulatione non caret. Itaque floralis artis magister quilibet doctrinam suam præ omnibus et unice sinceram existimat; hæc sola e genuino fonte derivata est, ars pura penes eum solum est; cæteri vero artifices hanc imitatione usurpant (2); aut, quod ad flores attinet, ipse solus quibusdam medica-

(1) *Hiden.* — Verbi gratiâ, nº IX chirographum, cujus pauca sane exemplaria in vulgus emissa sunt, sequens monitum auctoris subscriptione et sigillo signatum habet : « Quum hoc opus singulis meis discipulis privatimque destinatum sit, nemo, nisi per me licitum sit, id in manibus sumere et legere præsumat. »

(2) Exempli gratiâ, referam prooemium, auctore Rishôan Itchijou, VIII, vol. III, p. 18. Ad discipulos his verbis utitur : « Monitos vos esse volo, inquit, nostram scholam Enshiou a Kôkôan Sôko fuisse institutam (hoc mutato nomine vocari solebat Kobori Masakaz). Quia vero illius cognomen Masakaz sinicis litteris scriptum *seitchi* quoque pronuntiari potest, nostræ scholæ alumni fictis suis nominibus litteram *itchi* adscribunt, quæ illos e genuino fonte ortos esse documento sit, et hæc littera per vices a singulis magistris velut depositum electis tantum discipulis transmittitur. Attamen non desunt artifices, qui hujus instituti originem nescientes, injuste ac temere hanc litteram *itchi* sibi assumunt, quo major auctoritas eorum doctrinæ insit. Sane si inconsulte id faciant, non a contumeliâ erga nostræ scholæ auctorem abesse videntur ; pro ereptoribus autem se gerunt, si hoc signum nobis certis conditionibus relictum fuisse noverint. Vobis ergo Enshiou scholæ discipulis sacra semper sit hæc littera cognominis nostri Kokôan, utpote quæ solis veris magistris propria tradita est. »

mentis feliciter adhibitis vitam floribus prorogare potest longius quam æmuli sui possunt (1) : his positis, non mirum est systemata orta fuisse plurima. Bene equidem novi, juxta hanc scholam, compositionis floralis cuique præcipuæ lineæ nomen ex elementis naturæ inditum, juxta illam ex coloribus, juxta aliam ex virtutibus, juxta autem aliam ex quatuor cœli partibus : ecqui hoc ad artis rationem ipsam attinet ? Reperio equidem in libris a magistris editis docta præmia quibus suæ quisque scholæ gloriam celebrat : quum autem tum librum totum, tum descriptiones quibus ornatur, attente considero, et principia simul et effectus ad invicem confero, reperio easdem semper leges quibus florales compositiones prope similes conficiuntur. Revera, excepta Ikenobo (2) scholâ quæ, utpote ad veteris Rikka rationem regrediens, sui juris esse merito dici potest, omnes nostræ ætatis scholæ a Sen-no-

(1) Id ab arte florali non est alienum, attamen ad partem industrialem magis spectat ; itaque a nobis hic prætermittendum est. Sed auctores japonicî eâ de re abundanter disserunt et nonnulla ab eîs annotata non sine pretio sunt, inter ea quæ ad physiologiam plantarum spectant. Florum compositores longâ ac multiplici experientiâ viam paulatim nacti sunt, cæteris incognitam, quà plantis vitam et nitidum decus tempore quandoque diuturno prorogarent. Artificia autem pro diversis plantarum speciebus diversa sunt, sed summatim in eo maxime constant, ut certis ac definitis diei vel noctis temporibus collecti flores, præfixo horarum numero in aquam mersi madefiant, ac præsertim præcisis caulibus injiciantur aromata quædam vel medicinæ, adjectis aquâ calidâ, igne, vino ex oryzâ, et cæteris. Insuper quatenus hujusmodi tractatione caules molliuntur, inde facilius aut flecti, aut inverti, aut deprimi, aut contorqueri possunt, ut sine læsione adaptari queant juxta multimodam formæ nativæ inversionem, quam subire necesse est juxta præcipuam ac difficillimam hujus artis institutionem. (Vide, exempli gratiâ, XIV, vol. I, cap. 2, etc....).

(2) Hæc schola inter recentiores ad artis rationem minus accedit.

Rikiou ortæ, sororum speciem et maximam similitudinem ad invicem habent.

Attamen inter varias ex Kôriou ortas scholas longe ante omnes eminet meritoque laudatur Enshiou schola. Auctor illius fuit Kobori Tôtômi-no-kami Massakaz (1), provinciæ Enshiou præfectus, qui, ineunte decimo septimo sæculo, magni Iyeyas (2) comes fuit, et postea sub nomine Kohô-an-Sôho, in palatio nepotis illius Iyemits (3), thæi cæremoniæ magister fuit. Ille shiôgoun, avitam consecutus gloriam, omnium artium et præcipue floralis artis studiosissimus fuit. Narrant illius fidissimum simul et ferocissimum consiliarium Okoubo Hikozaemon, ad shiôgoun de republicâ monendum, nihil aptius reperisse quam ut audacter frangeret quoddam vas in quo pulcherrima cerasus, gratissimo domino, florebat : quæ res causa fuit illius celeberrimi popularisque dramatis, cui titulus est « Mille Cerasi » (4), quo hisce temporibus Japonenses nullâ aurium satietate delectantur. Quum Kobori discipulus esset Fourouta Oribe (5) qui ipsius Sen-no-Rikiou fuerat, minime mirari possumus quod apud hunc shiôgoun omnium artium studiosissimum, in maxime honore fuerit. Etsi Fourouta Oribe thæi solemnitatis studium ab artis floralis studio disjunxisset, judicans neminem in alterutra arte plurimum

(1) Kobori, nomen familiæ ; Tôtômi no Kami, gubernator provinciæ Tôtômi seu Enshiou ; Masakaz, cognomen. — Titulus ille gubernatoris probabilius nomen erat sine re, quum plerique hujusmodi nominibus insigniti magnates provincias nunquam petierunt, quas administrare censebantur. — Hujus viri de vitâ, confer libros fere omnes de arte florali conscriptos.

(2) 1542-1616.

(3) 1604-1651.

(4) *Sembon-sakoura.*

(5) XXXIII, p. 92.

valere posse nisi alterutri tantum totam vitam suam impenderet (1), Kobori utrique arti vi animi ingeniique magnâ indulsit, multaque meliora fecit tum in thæi cæremoniâ tum in scholâ Kôriou : exinde juxta plerosque ætatis nostræ artis magistros, Kobori scholam ipsum Kôriou ingenium referre, longeque ante omnes scholas recentiores eminere merito dici potest. Igitur si recentiorem scholam Kôriou, cujus formam schola ex Enshiou potissimum refert et veterem scholam in genere sumptam inter se confers, duo inter se pugnantia contrariaque systemata invenis, plusque curæ et artis recenti scholæ inesse videtur. Etenim a recentioribus materia, ad opus florale adhibita, scite et docte tractatur ; florum lineis inest quidam lepos adscitus ; floralis compositio requirit magnam rerum scientiam, quam nemo habere potest nisi qui cognoverit perfecte ingenia plantarum, quæ tum speciei, tum soli naturæ, tum anni temporum ratione variant. Ad hoc necesse est cognoscere leges juxta quas cujusdam plantæ habitus mutari debet, ut redire cogatur ad illam naturalem exquisitissimamque formam quam natura ipsa, licet nonnunquam incœpto impar, occulte tamen creandam sibi proposuerat. Attamen in istis floralibus compositionibus tanta et tam præclara ars eminet ut scientiæ obtentui sit, oculique tantum simplicissimâ pulchritudine moveantur. Hæc enim schola, triplici principio nixa (2), plurimam artem adhibendo, omnibus plantis communia simul et cujusque plantæ propria pari cura tuendo, aperte fatetur se tantum artificialia opera conficere, in quibus nihil fortuito casuve fit : gloriatur autem in eo quod nihil produ-

(1) III, p. 6.
(2) *Sanghi* : *kiokou*, *shetsou* et *dji*.

cat quod saltem implicite in natura rerum contentum sit : hæc est illi suprema laus. Etenim utriusque scholæ floralibus operibus ad invicem collatis, satis mirari nequimus quod, quum recentis scholæ opera, in quibus tamen maxima ars apparet, omnium admirationem moveant, veteris scholæ compositio floralis quæ nihil aliud quam rudis naturæ imitatio est, econtra speciem artificialem præbeat.

Hunc in modum consummata perfectaque evasit ars floralis de cujus historiâ fusius tractavimus. Nunc ergo si illius processus rationem uno intuitu summatim consideramus, ex eâ seclusis cæteris japonicis artibus, artem floralem solam proprie domesticam esse colligere possumus. Ipsi enim japonici auctores se a principio ex Sinâ, ut humanitatem vitæ et cultos mores, ita etiam omnium artium vias accepisse, omnique ætate artis studiosum quemque a Sinicorum exemplarium studio opes animumque ducere solitum fuisse fatentur : quod quidem eximiâ arte confecta, quæ ad nos pervenerunt, opera uno intuitu consideranti verum esse patet. Sic quasdam artes, quæ maximam habent relationem ad artem floralem, qualis est ars fabricandi vasa ad ornamentum, peregrinas esse certum est. Longe autem alia est ratio artis floralis in sua perfectione spectatæ. Unde enim eam Japonenses assumpsissent ? Ex Indiâ ? Quod attinet ad artem floralem, India nihil aliud Japoniæ præbuit quam amicum religionis adjumentum : nihil ipsa de floribus exquisitius cogitavit quam ut cultui humiliter inservirent, et eo ipso tempore, quo Japonenses ab indianâ mente recedere ausi sunt, ars floralis apud eos maxime florere incepit. Venitne ex Coreâ ? Nihil unquam Japonenses a Coreâ assumpserunt, præter rudes inchoatasque tantum quarumdam

artium vias, eo ipso tempore, quo Coreæ, haud secus ac hisce temporibus, neque mos neque cultus erat ; decimo tertio quidem sæculo quam maximo cultu floruit Corea : attamen utriusque regionis arte eximiâ confectis operibus ad invicem collatis, Japonenses a Coreâ nihil admodum sumpsisse patet : insuper frustra in Coreâ meræ artis floralis vestigium vel levissimum quæreres. Superest quidem Sina quæ duplici vinculo cum Japoniâ conjuncta est : nam ex una parte, prout supra vidimus, ars floralis, imperante Yoshimassa, eo ipso tempore instaurata et quasi ab integro renovata fuit, quo « floralis corbis » e Sinâ assumpta est ; attamen, ut religiosa periodus cujus India auctor fuit, sic magis luxuriosa periodus, cujus Sinenses auctores fuêre, nondum hanc perfectam pulchritudinis formam attigerat, quæ in periodo artificiosâ maxime effloruit. Ex alterâ parte, vigebat etiam tunc in Sinâ ars floralis, nonnullaque reperiuntur principia ab utriusque regionis auctoribus, quæ maximam ad invicem relationem habent (1). Etenim ut Japonensibus, sic etiam Sinensibus, multò elegantius quam nostrates sapientibus, sordebant florum fasciculi vinculo circumcincti, floresque

(1) Inter sinicos libros, e quibus japonici auctores ipsi exempla referunt, citari possunt : *Heishi* (Historia floreorum vasorum), auctore Enrôtshiou ; *Kôhan-yôji* (Notiones de florum compositione), auctore Totchòke ; *Hiden-Kakiö* (Speculum arcanæ artis floralis), auctore Tchin-kiko ; *Entchiouriô-bountchiou* (Opera Entchouriô) ; *Heishi* (Historia floreorum vasorum) ; *Heikafou* (Album florum ad compositionem floralem); *Heikashi* (Historia florum in vasis dispositorum), auctore Entchiouriô ; etc... — Hos libros sinicos nobis comparare non potuimus, siquidem libris japonicis nullâ loci indicatione citantur ; eorum tamen quædam excerpta in variis japonicis libris inveniuntur : verbi gratiâ, vide III, p. 5 ; XVII, proœmium auctore Saïto Setsdô, celeberrimo magistro sinicarum litterarum ; et XXXIII, p. 90.

fastidiose incompteque in ordinem dispositi. Attamen isti opifices, arte quidem præclari, facultate autem mediocres, principia vel optima licet nacti, nonnisi lento et tardo gressu progredi, nec in medio clivo, procul a supremo artis culmine, subsidere non poterant. Ea enim gens quæ, in rebus naturæ, pæoniam magnis corollis rubescentibus invenustoque caule, tanquam florum dominam habet, et in ratione artis, semper operam dedit ut vasis quam acutissimum colorem induceret, non poterat ad hunc perfectionis gradum pervenire, quem adepti sunt Japonenses, omnium in ingenuis artibus facile principes, quibus florum domina roseo colore ramisque blande inflexis cerasus est, quique præsertim incumbunt ad vasa parce decoranda levibus tantum delineamentis, in quibus scribendis maxime efflorescit artificis ingenium. Ne multis morer, ut et nos sic et Sinenses color, Japonenses vero linea potissimum juvabat, ideoque floralis artis, in quâ linea omnia est, Japonenses merito inventores dici possunt.

Hoc facilius clariusque intelligi poterit ex eis quæ de arte florali, ratione pulchritudinis consideratâ, et de celeberrimâ notissimâque scholâ ex Enshiou dicenda supersunt.

II

Ut clare intelligi possit principium, juxta quod opus florale sive ab artifice scholæ ex Enshiou, sive a cujuslibet scholæ artifice componendum est, excutiendum nobis est quoddam præjudicium, directe huic principio adversans, quod in fasciculos componendi ratione, qualis saltem apud

nos usitata est, necessario contineri videtur : relationem dico coloris ad lineam. Primò ad Japoniam appulsum miratio incessit sibi non obviam esse regionem Orientis proprie dicti, quales sunt mahumetanæ regiones, in quibus color acutior ubique ardet oculosque perstringit, sed regionem in quâ, præter opinionem, color minorem partem obtinet quam in occidentalibus regionibus. Modo enim occurrerat insula Ceylan, Orientis ipsius rubro splendore fulgentissima ; deinde sinica civitas Shanghai, tabernis varietate versicolori maximeque cæruleo flavoque colore conspicuis : tandem Japoniam ingredienti occurrit amœnus quasi Helvetiæ prospectus, cujus semper virenti colore oculi gratissime reficiuntur ; apparent urbes, quarum pullæ domus nigraque signa speciem referunt cujusdam funebris regni in quo, frontibus ædium lugubri ornatu velatis, umbræ stolis pallido colore indutæ huc et illuc dubiâ luce errare videntur. Non statim alienigena vir a primo stupore residere et colorum defectui assuescere potest : nec gentem illam, severi et austeri studiosissimam, longe ante Europæos artis laude insignem esse facile intelligit. Quibusdam enim exclusis templis, animas Majorum numero deorum adscriptas honorandi causâ, a quodam inclytissimo shiôgoun incredibili prodigiosoque luxu conditis, quæ tota a pavimentis pedibus adeuntium calcatis adusque summam partem tecti imbre verberati, ære lignisque pretiosissimis, puro auro et argento, effusis sumptibus ædificata sunt, omnis japonica architectura quam simplicissima et austerissima est : cujus rationem dixerim quasi summatam esse in eâ ingenti vacuæ portæ (1) effigie, quæ ad uniuscujusque templi ingressum erectæ,

(1) *Torii* (avium sedile).

quatuor lineis constat puris ac velut aeriis, duabus scilicet altis et ad verticem directis columnis, et in summo, ingenti assere transverse injecto, cui superjectus est belle inflexus alius asser, cornibus in sublime erectis. Summa etiam japonicæ picturæ graphis est, ita ut linea, quæ naturâ suâ ad id tantum valere videtur ut rerum describendarum formam definiat, mox incredibili atque expressivâ eloquentiâ et vi esse videatur. Forti animo pictor penicillum atramento induit, et uno tractu in quem tota illius virilitas obediente manu transiisse videtur, vividam imaginem delineat. Nonnunquam etiam linea, excedens naturâ suâ, jam non ad rem sed ad ideam exprimendam usurpatur : quæ quidem effigies tam arbitraria est ut nemo nisi in operibus japonicæ graphidis perfectioribus plurimum exercitatus, quid significet hæc linea jam intelligere possit. Sic ante tabulam, in quâ artifex, quibusdam tantum cinereis lineamentis, puncto temporis, effingere et quasi oculis subjicere potuit rem fluentem et manantem, quamdam formam confusam mox evanescentem, fluctus sinuoso vortice se volventes, cataractam præcipitantem, nubem per inane volantem, aut nebulas in præceps cadentes, quod quidem manui vel peritissimæ non parvam facessit difficultatem, artis studiosus Japonensis admiratione fremit, Europæus autem friget nisi prius ex operibus artis japonicæ perfectioribus didicerit quantâ pulchritudine et eloquentiâ sit linea, quocumque colore et ornamento expedita. Eadem fugax pulchritudo formarum mobilium, quam graphice lineis figere potest, vivida apparet in arte saltandi quæ linearum scientiæ perito cuique Japonensi ingenua honestaque voluptas est. Sive enim, molliter inflexo corpore, lentâ exquisitissimâque mobilitate varios in modos totum jactare corpus, formæque pulchritudinem patefa-

cere gaudentem feminam, sive virum nunc læto saltatu sese tollentem, nunc sidentem spectant, semper potissimum linearum apta concinnitate delectantur. Si quis velit probe cognoscere quousque lineis decoris insigniri debeat compositio floralis, abunde est notare hujusmodi doctarum saltationum et severarum picturarum præcupidos, thæi etiam solemnitatis, quæ artis floralis gemina est, ipsos studiosissimos esse. Ili sunt viri fastidio delicatissimo qui sepiâ delineatæ effigiei tanto amore capiebantur ut nonnunquam quamlibet tabulam licet optimo colore pictam, tanquam lepori injuriam exagitarent (1). Nihil novi quo magis probari possit quousque æstuare valuerit ea febris linearia, quâ gens illa laborat. Color equidem ab artis floralis magistris non vetitus fuit ; illis tamen semper lineâ, artis ipsius reginâ, posterior fuit; apud autem Europæos linea, figurâ stricte geometricâ, colori tantum rudi inserviebat. Similes sunt fasciculi nostri istis uno asse venalibus, acutique coloris imaginibus, quæ præter pulcherrimam tabulam pueris arrident, et in quibus linea nihil aliud valet quam ut indicet loca in quibus aliqua machina flavas vel virides notas imprimere debet. Omnes autem Japonenses, qui de arte florali libros proferunt, licet effigies colore pictæ non magno parabiles sint, rejecto tamen quocumque colore, atramento tantum effigies florum delineant : ex iis omnibus facile intelligi potest quantum intervallum inter nos et illos sit ! Summa summarum hæc est : in arte florali soli Japonenses præclari

(1) Eâ de re, vide *Tama Katsma,* auctore Motoori, celeberrimo litterato e recentioribus (1730-1841), vol. XIV, pp. 16 et sequentes. (Censura eorum qui *Tcha-no-you* ultramodum sunt studiosi et discussio opinionum eorumdem de picturis.)

fuêre, utpote qui quanti momenti sit linea, hujus artis fundamentum et fastigium, soli perfecte intellexerunt.

His pro lege statutis, quomodo nunc Japonenses ad hanc normam pro tempore singula disponant, ex tunc instituenda discussio est. Ex iis quæ supra diximus, ad compositionem floralem conficiendam haud secus ac ad picturam aut statuam faciendam vel monumentum ædificandum, totius operis rationem animo instituendam esse facile colligi potest. Ratio operis quibusdam constat lineis præcipuis, juxta quas ordinandi sunt caules vel rami quibus compositio floralis conficitur : vel aliis verbis, per vacuum ducendæ sunt quædam lineæ, nullâ suâ propriâ pulchritudine non signatâ, omnesque lineæ ita inter se concinere debent ut totum opus apte cohæreat. Hæc linearum compositio basi innitetur ad imitationem soli ex quo oriuntur plantæ : ad id eligitur superficies aquæ. Hæc fictio naturalis et necessaria est : secus enim violaretur præcipua hujus artis regula (1), juxta quam non solum plantarum forma exprimatur necesse est, sed etiam vivida earum species, quâ a terrâ, unde exoriuntur, ad cœlum assurgere videntur. Quomodo autem soli superficies ab aquæ superficie referri poterit ? Ad oculos perite decipiendos, gens artis expers certe quamdam puerilem artem adhibuisset plus minusve aptam ad simulandum in aquâ solidum, utputa in solidâ laminâ glaream vel gramen ponendo. Rectius autem sapierunt Japonenses : circa enim locum unde florales lineæ initia sumunt ea lex est ut ibi perite et scite disponantur, ita ut cum magna vi miroque quasi impetu assurgere videantur. Licet ducere lineas a principio in verticem pergentes : licet etiam ducere in

(1) Vide V, vol. XIII, p. 13 et seq.

omnes partes lineas a principio plus minusve transversas. In hoc casu cavendum est ne ita curventur anguli, ut intuentium oculis gracilem et imbecillem speciem præbeant. E contrario omnia ita disponi et componi debent ut ex quâdam reali solidâque basi caules erumpere videantur. Cæterum artifex pro arbitrio suo unam ex tribus sequentibus rationibus eligere potest (1) : vel omnes præcipuas lineas cogit in unum fascem, qui, ad aliquantum altitudinis progressus, multifariam dividitur : vel lineæ a diversis et inter se aliquantum distantibus locis, initium sumunt ; vel, mediâ viâ electa, præcipuæ lineæ in unum fascem coguntur qui mox multifariam dividitur.

Jam operis floralis ima pars fundata est : nunc ergo de aliis partibus ordine disponendis agendum est. Hoc summatim apud omnes artis magistros pro lege habetur : omnes partes inter se aptæ et concinentes sint ; fac lineæ ita conveniant ut ex pluribus et multimodis fiat tamen aliquid unum ; præsertim evitanda est partium alternata paritas (2). Hoc nihil rectius concipi potest. Etenim partium alternata paritas, quâ valde se jactant europæani fasciculorum compositores, nihil aliud est quam inepta artis defectio. Naturæ enim repugnat illa paritas, utpote quæ nusquam in gignentibus inveniri potest ; absona est etiam a pulchritudine : quid enim specie invenustius, fastidiosius et molestius ? A barbaris tantum adhiberi et probari potuit. Etenim apud Europæos, eo ipso tempore quo artes in deterius labi incipiunt, in honore esse solet : quum autem ars eminet, qui meliori sunt ingenio viri ad artis rationem perveniunt eminentiorem, scilicet varieta-

(1) *Nejime* (radicum conjunctio), *neouake* (radicum separatio), *sashiouake* (ramorum separatio).

(2) III, p. 18 ; XXXIII, p. 90 ; etc

tis in unitate. Nunquam autem in artibus excolendis hanc partium adæquatam symmetriam probandam esse putaverunt Japonenses, in omni artis genere semper elegantissimi : hæc symmetria recentius grassata est, in vilis loci officinis, in quibus propere conficiuntur exportanda, quibus popularium nostrorum foci decorentur. Porro si bina vasa aut candelabra, ad vetera exempla confecta, omnibus partibus inter se similia inveniri non possunt (1), quanto magis patet hanc pravam vulgaremque consuetudinem ex artibus operosis ipsis exclusam, arti florali subrepere non potuisse, quum artis floralis compositiones ad imitationem naturæ a clarissimis artificibus conficiuntnr. Japonenses ergo, despectâ istiusmodi obviâ puerili pravâque artis viâ, recte ad hanc difficillimam, eminentissimam verissimamque artis rationem pervenerunt, juxta quam, ex contrariis et inter se pugnantibus rebus ex industriâ congregatis, artis peritissimus unum et apte cohærens opus perficit.

Nunc ergo de singulis lineis, quibus totum opus conficitur, agendum est. Hic præ oculis sunt rami et caules juxta varias principales lineas disponendi : quæque linea figuratur vel ab uno ramo aut uno caule, si gracilior non sit, vel a pluribus tenuibus ramis aut caulibus, ita circa mediam directivam lineam dispositis ut compositio linearum varia sit et apte cohæreat. Imprimis quot lineæ adhibendæ sint inquirendum esse videtur. Si pauciores sint, opus inornatum ideoque in fastidio erit : si nimio plures, multiplicitate gravabitur, nec facile in uno conspectu

(1) Japonenses nonnunquam, raro tamen, symmetriâ usi sunt, ut semper aliquâ ratione allegoricâ : utputa germanâ specie bina florea vasa ad ritum matrimonii, ita tamen ut florum dispositio non sit in omnibus idem, ut evitetur par omnino similium alternatio.

videri poterit. Experientiâ adducti sunt japonici artifices ut, quibusdam exceptis casibus, nec tribus pauciores nec plures quam septem admitterent (1) : ast hos inter angustos limites eorum imaginatio non angustiatur, nam quæque trium, quatuor, quinque, sex aut septem linearum forma novas et quasi infinitas numero formas inducere potest. Trium linearum forma quasi typus princeps est : theorice sumpta, essentialis et idealis forma est, cui accedent tanquam merum supplementum aliarum formarum addititiæ lineæ ; re autem ipsâ optimo cuique præter cæteras arridet. Ad hujusmodi principis formæ tres partes designandas primariæ, secundariæ et tertiariæ lineæ nominibus utar, quum voces (2), quibus utuntur magistri, generali acceptione ad plurium artium præcipue ad hortos colendi artis præcepta exprimenda usurpatæ, gradus, quibus successive procedit operis cujuscumque artificiosa confectio, significare solent. Linea primaria centro proxima et procerissima, cardinalis scilicet linea est : assurgit geminâ flexurâ, cujus inferior et superior pars in lineam fictam, fere verticalem et ad perpendiculum directam solvi potest. Ductâ igitur lineâ ab imo ad summum, datur figura in

(1) XI, p. 3.

(2) Voce *Shin*, quâ justitia, severitas significatur, linea normalis recta, ideoque magis rigida designatur ; *Sô*, quod herbam sonat, molliorem lineæ secundariæ flexuram in mentem evocat ; *Ghiô* vero, idem ac vivendi ratio, pro temperantiâ, media ratione, media extremorum convenientiâ accipitur. — Hic loquendi modus rebus maxime diversis adhibetur. Verbi gratiâ, litteræ sinicæ triplici formâ scribuntur : juxta formam *shin* austero et angulato aspectu, juxta formam *sô* gratiosis ac mollioribus flexuris, juxta *ghiô* austeritas et gratia inter se belle conveniunt. Juxta japonicam urbanitatem, forma sedendi est in *shin*, *sô* et *ghiô*, prout ipsâ corporis habitudine major vel minor reverentia exhibenda est ; habitus *shin* est maxime reverentialis, habitus *sô* familiarior, habitus *ghiô* communiter in medio est.

speciem cujusdam arcûs, plantæ verâ flexurâ ligno, fictâ autem lineâ funi arcûs respondente. Linea secundaria et linea tertiaria breviores sunt, et ipsæ arcuatæ. Sit ergo ut hæ tres flexuosæ lineæ in rectum revocentur et juxtaponantur : uniuscujusque ratione ad invicem collatâ, linea secundaria primariæ propè dimidiam partem, tertiaria verò quartam partem comprehendere videtur (1). Secundaria et tertiaria linea aliquantisper plerumque primariam immiscent : mox hinc et illinc certo et venusto ordine disjunctæ curvantur, laterique circumdantur ut minores natu blandæ sorores, secundariâ potius in verticem, tertiariâ autem in latitudinem directâ. Secundaria a tergo ad partem convexam assurgit, tertiaria autem ab infra contra concavam partem producta, vacuum spatium obtegit pulchrâ et aptâ oppositione. Cæterum opus florale, posito quod in planâ dimensione quæ ad perpendiculum sit oculis disponatur, tum ad dextram tum ad sinistram verti potest. Inde lineas componendi ratio duplex quam magistri distincte observant, præcipientes ponere secundariam ad lævam, tertiariam autem ad dextram si opus florale dextrâ manu vertatur, contrarie vero si læva manu disponatur. Similiter et præcipue tres lineæ, quarum ductum in genere annotavimus, tum in earum ab invicem divergentiâ, tum in earum curvatâ productione, tum in ipsius curvaturæ singulis partibus, ad arbitrium artificis (2), prout ille austero

(1) Saltem hæc est norma ab Enshiou scholâ præstituta. Juxta quasdam alias scholas statuitur proportio quæ numeris non ita obviis exprimitur ; attamen relatio linearum ad invicem apud omnes fere eadem est.

(2) Notandum est hujusmodi secundarias mutationes ipsas dividi in novem genera, quæ licet observentur, tum a magistris, quo dilucidior fiat docendi ratio, tum ab alumnis ut mera exercitia, minimam tamen difficultaten veri artificis ingenio facessunt. (Vide XXXIII, p 50.)

vel ambitioso ingenio erit, mille modis inflecti et immutari possunt et sic diversissimas specie exhibere figuras.

Hæc trium linearum forma in quinque linearum formam transire potest, additis duabus aliis lineis quarum altera inter primariam et secundariam, altera autem inter primariam et tertiariam ducitur : huic sub-primariam, illi autem bi-secundariam nomen dicam. Bi-secundaria naturâ suâ et loco potius ad secundariam quam ad primariam, sub-primaria autem easdem ob causas, potius ad primariam quam ad tertiariam referenda esse videtur. Bi-secundaria enim nihil aliud esse videtur quam geminatio secundariæ, cujus proceritatem vix egreditur et cum quâ apte et belle consociatur ad firmandam augendamque vim primariæ ; sub-primaria autem tertiariam multum superemi-nens, altius a terrâ quam bi-secundaria, primariæ subvenit. Manifesta est ratio hujus regulæ quam japonicus artifex quisque sponte adhibet : etenim quum tertiaria et primaria ad invicem collatæ rationem habent quam unus ad tria, secundaria autem et primaria inter se collatæ in eâ sunt proportione quam duo faciunt ad quatuor, ut, numerorum servatâ ratione, totum opus florale apte cohæreat, bi-secundariam ratione proceritatis ad duo quam ad quatuor, sub-primariam autem ad quatuor quam ad unum accedere debere manifestum est. Hujusmodi concinentia constat tum ex bi-secundariæ et sub-primariæ proceritate, tum præcipue ex earum flexuris, quæ etsi aliquanto a primariæ et secundariæ flexuris specie differant, ita tamen apte et scite in earum intervallis disponantur, ut ad unum quid et belle cohærens opus florale perficiendum plurimum valeant. Sic si mathematicus harum linearum aptam concinnitatem ex ratione flexurarum excuteret, perspiceret sane plures geometricas regulas a Japonensibus sponte

prænotas et perite adhibitas, quin ea principia, a quibus ducantur, intellecta esse videantur. Nunc autem ut quinque linearum forma in septem linearum formam transire possit, addendæ sunt duæ lineæ quarum alteram inter-secundariam utpote quæ ad supplementum inter secundariam et bi-secundariam ducitur, et fere pari intervallo ab utrâque distat, alteram vero sub-tertiariam dicam, quatenus ducitur inter sub-primariam et tertiariam, propius autem ad tertiariam quam ad sub-primariam accedens. Harum linearum proceritas et flexura, quamvis non geometrice proportionatæ, ita tamen pensatæ sunt ut totum opus apte cohæreat, ita ut ex superadditis lineis magis emicare videatur, auctà semper animositate, nunquam vero gravitate. De quatuor aut sex linearum formis nihil dicendum esse nobis videtur; nam præter id quod rarius usurpantur, ex iis quæ supra diximus eorum naturam facile intelligi posse judicamus. Nec etiam quidquam dicemus de unius aut duarum linearum formis : raro enim adhibentur, duarumque linearum forma ad unum folium et unum florem ad invicem opponenda maxime usurpatur (1); nec etiam de formis plus septem, novem scilicet, undecim vel etiam plurium linearum formis, utpote quæ ad formas jam expositas tum ut ratio initialis tum ut evolutio se habent (2).

Ad signandas præcipuas operis floralis lineas, quasdam arithmeticas voces adhibuimus, ita accommodatas ut quam clarissime linearum locus et officium in toto opere florali exprimerentur. Aliis autem vocibus utuntur japonici artifices, quas cognoscere operæ pretium esse ducimus. Com-

(1) Tunc temporis ex primariâ et secundariâ tantum constat.

(2) His de principiis, vide XI, p. 13 seq.

muniter primaria Directio, secundaria Dulcedo, tertiaria Media Ratio, bi-secundaria Fulcrum, sub-primaria Axis minor, inter-secundaria Humerus, denique super-tertiaria Truncus vocatur (1). Alia autem diversa planeque arbitraria vocabula, de quibus jam anteà pauca disseruimus, ab omnibus scholis ex Kôriou profectis adhibentur : sic in duarum linearum formâ, Cœlum et Terra (2) vel simpliciter Mas et Femina (3) ad invicem opponuntur; in trium linearum formâ, primaria Pater, secundaria Ego, tertiaria Mater vocatur (4), vel primaria dicitur Cœlum, quia sursum est, tertiaria Terra quia deorsum, secundaria autem Humanitas quia supra terram et sub cœlo homines sunt (5); in quinque linearum formâ, primaria dicitur Terra, secundaria Ignis, tertiaria Aqua, bi-secundaria Metallum, sub-primaria Lignum (6), vel primaria vocatur Centrum, secundaria Septentrio, tertiaria Meridies, bi-secundaria Oriens, sub-primaria Occidens (7), vel etiam primaria dicitur Flavus, secundaria Ruber, tertiaria Niger,

(1) *Shin*, *Sô*, *Ghiô*, *Soye*, *Shoshin*, *Kata* et *Dô*.
(2) *Ten* et *Tchi*.
(3) *Yô* et *Inn*.
(4) *Tchitchi*, *Onore* et *Haka*.
(5) *Ten*, *Tchi* et *Hito*.
(6) *Tchi*, *Hi*, *Mizou*, *Kane* et *Ki*.
(7) *Thiouô*, *Kita*, *Minami*, *Migashi* et *Nishi*.— Non sine pretio erit notare quâ ratione in Japonensium mente linearum descriptiones ad invicem conveniant. Omnia enim hujusmodi vocabula, ex phænomenatibus mundi, elementis et quatuor cœli partibus desumpta, ex eis quæ prædicantur de primâ rerum origine, oriuntur. Veteres enim, quum mundus ex informi unitate (*Taikiok*) in hunc habitum discessisset, terram quadratâ, cœlum vero rotundâ formâ figuratum fuisse putabant, ideoque quadrato scripto in circulo consensum cœli et terræ repræsentabant, quatuor angulis quadrati quatuor partibus cœli respondentibus. (Vide XIV, vol. II, ch. 10.)

bi-secundaria Albus, sub-primaria Cæruleus color (1); postremo juxta aliam distinctionem quâ potissimum utitur schola ex Enshiou et quæ minus ambitiosa belle indicat varios animi motus, quibus artifex affici solet, primaria vocatur Cor, secundaria Auxilium, tertiaria Hospes, bi-secundaria Solertia, et tandemsub-primaria Summa manus (2). Hæc satis dicta sint de loquendi modis (3) ultra modum exquisitis, e quibus forte ultimus tantum ad artis rationem pertinet, et ad propositum nostrum principale redeamus.

Quam nunc exposuimus operis floralis formam, ea, quantæcumque sint lineæ, sat simplex nudaque esse videtur. Ast artificium ulterius produci, meliorique industriâ elegantia major affectari potest (4). Etenim summa totius operis, cujus singulas partes modo dispeximus, in lineâ primariâ est, ita ut ad illius flexionem aliarum linearum curvaturæ componantur. Hâc igitur essentiali lineâ mutatâ, haud dubium est quin mutari debeant et cæteræ adjunctæ lineæ, sicque totius operis ratio immutabitur. Hoc fit primariam lineam, ante maxime præeminentem, præter normam inflectendo ita ut altitudinis detrimento in latitudinem increscat. Hæc arcuata linea, prout jam diximus, speciei similis est cujusdam arcûs, a parte extremâ erecti, cujus funis a lineâ arbitrariâ ab imo ad summum ductâ repræsentari potest : porro adducto hoc fune arbitrario, curvatoque arcu, statim flexuræ ratio tota immutatur, totaque forma depressior latiorque fit. Quod ut facile fiat, ima

(1) *Kiiro*, *Aka*, *Kouro*, *Shiro* et *Ao*.

(2) *Shin* (littera sinica quâ hic scribitur *shin* alia est ac littera significans « directionem »), *Soye*, *Ouke*, *Kiok* et *Tome*.

(3) His de verbis, vide XI, p. 3-5.

(4) XXXIII, p 18 seq.

pars lineæ primariæ vix egressæ e planâ superficie, unde initium sumit, vehementer oblique detorquenda ; similiter, in diversum tamen, curvanda est pars superior ita ut major flexura producatur, servatâ tamen semper certæ et directivæ verticalis lineæ normâ, superiori parte per verticalem lineam depressâ, recteque ad inferiorem partem, ad quam propius accedit, directâ. Quod si juxta eamdem rationem servatis prædictis regulis, adjunctas flexuras mutaveris, novam floralem compositionem, prorsus a præcedenti diversam, licet eâdem ratâ ratione apte et belle cohærentem, habebis. Revera hanc novam operis floralis formam usus poscebat, ut flores Japonensium domibus aptari possent : etenim non raro sub repositoriis ponuntur, quod quidem mirum non est, attentis Japonensium moribus qui, ut Europæi in cathedris sese ponere, ita super tegetes sedere solent, quorumque acies inferius quam nostrorum luminum radii generaliter intendit. Præterea suscepit consuetudo Japonensium communis ut formâ præstantissimum vas floribus ornatum ponatur in quodam sinu (1) quem in cujuscumque japonici cubiculi pariete invenire est : huic loco, qui honore et æstimatione primus est, nomen dicam torum. Porro tori intima pars, tum in regiâ domo, tum in rusticuli casâ semper ornata est non parvi pretii tabulâ, quâ paterfamilias valde gloriatur.

(1) *Toko-no-ma*, id est, lecti seu « tori locus », in quo majores somnum capere soliti fuisse dicuntur ; inde nomen ei cubiculi recessui inditum. Hisce autem temporibus, licet pro antiquâ traditione, parvæ tegetes in *tokonoma* ponantur, loculus iste non jam quietis causâ ex usu est, sed perinde ac focus salutatorii cubilis Europæorum, ad id tantum valet ut tabulas, eximiæ artis opera et ingeniose facta recipiat. Apud Japonenses honore princeps locus est. Hinc jam huic cubiculi parti « torum » nomen dicam. (Vide p. 164.)

Curare debet artifex ut compositio floralis apte conveniat cum illo eximiæ artis opere, nedum illud occultet. Attamen hæc ultima forma, quia præcedenti inferior est, abruptius, ambitiosius, laboriosius, curvari lineas exigit, quarum processus deprimitur et prompta evolutio celerius inflecti conspicitur : et si jam spectator non in prospectu habet has regali audaciâ in infinitum projectas lineas, quibus præcedens forma imprimis commendatur, in alterâ magis exquisitæ elegantiæ decus, et magis excultæ artis industriam admirari potest (1).

Vidimus modo varias formas in quas floralis compositio mutari potest, quum lineæ, servatâ tamen earum proceritate, opereque toto circa mediam lineam verticalem perite librato, præter normam curvantur. Alio modo etiam modificari potest, aliam figuram pro rerum opportunitate effingendo. Hæc nova mutatio tota in eo est ut, normali lineâ verticali in transversum inclinatâ, ad illius normam et rationem modificentur. Sit exempli gratiâ triangulum orthogonium ita dispositum ut linea angulo recto opposita in verticem pergat : in hoc triangulo includatur opus florale trium linearum, cujus secundaria ad lævam, tertiaria autem ad dextram primariæ sit : primaria linea tum præeminentis tum demissioris formæ, cujus hucusque generalem rationem perpendimus, ad ductum lineæ recto angulo oppositæ componetur. Quod si hoc triangulum manu prehenderis et ita inclinaveris ut linea

(1) Hic denuo adhibentur tres voces *shim*, *sô* et *ghiô* ; quæ tamen non ad proprium singularum linearum, sed ad generalem compositionis aspectum designandum usurpantur. *Shin-no-hana* compositio floralis, de quâ in primo loco diximus, gracillima ; compositio *Sô-no-hana*, de quâ nunc tractavimus, maxime demissa ; compositio *Ghiô-no-hana*, et communiter, in medio est.

angulo recto opposita transversa fiat, optata mutatio obtinebitur. Sed horribile visu ! primaria, rigide per vacuum producta, inconcinne et incompte, parieti clavis affixi rami instar, serpit ; tertiaria sine vi assurgit, tantumque abest ut primariæ adjumento sit secundaria, ut contra eam obruere videatur. An omnia subvertenda ? Nequaquam : ut pulchritudo difformitati succedat, primariâ in integro manente, sat abundeque est ita secundariarum linearum processum et proceritatem mutare, ut tertiaria productissima, flexurâ amplissimâ in terram præceps detur, secundaria vero minuta cum magnâ vi ad cœlum assurgat. Sic datur nova forma cui tertiaria venustatem, secundaria vim affert. Etenim si tertiaria latiori flexurâ non produceretur, penduli tantum rami, sed non « præcipites rami » (1), prout a Japonensibus vocari solet, speciem referret : si autem secundariæ flexura, breviori spatio collecta non erigeretur, vel si, contra prohibitiones magistrorum, haud secus ac tertiaria dimitteretur, totum opus florale perinde ac marcentium florum fasciculus languens deprimeretur. Si compositio floralis præpostere ponatur, supradictas regulas inversâ ratione adhibendas esse omnibus patet : tunc tertiaria erigenda, secundaria vero aut, pro opportunitate rerum, inter-secundaria vel quælibet alia secundaria linea ad terram præceps dari debet. Si ergo juxta præfatas regulas opus florale confeceris, eximiæ artis opus habebis, quo nihil specie ornatius vividiusque dari potest. Quod si in vase ad aliquid appenso vel in repositorio alto posito, vel in bambuseo tubo tori columnæ affixo illud disposueris, videbitur tibi conspicere quosdam fortiter radicatos flores qui audacter ex altâ rupe in mare

(1) *Nagashi.*

aut in præceps pendent, in horrendam abyssum nullâ vertigine prospicientes, et omnibus simul expansis corollis cœlum ac terram contemplantur.

Hucusque in hâc speculativâ discussione, compositionis floralis lineas super planâ superficie, quæ rectâ lineâ adspici potest, tum ut transversas, tum ut ad perpendiculum ductas esse semper finximus : hujusmodi autem fictionem ad tempus tantum esse evidens est. Nunc ergo, auctoribus japonicis magistris (1), de variis regulis quæ lineis ante vel post hanc arbitrariam superficiem ducendis inserviunt discussio excutienda est : seu mutatis verbis, postquam de lineis quasi planis egimus, nunc de lineis prout in suo loco stantibus agendum est. Alia enim viventem plantam, alia plantam exsiccatam herbarioque adstrictam et inclusam metiendi ratio est, nec viventis plantæ verus locus trianguli lineis designari potest. Ut perfecte determinetur, non ad planum redigenda, sed in solido planta condenda est. Describatur in planâ quâdam superficie quædam octangula forma symmetrica : ex loco ipso quo singulæ lineæ committuntur, ducantur lineæ ad perpendiculum in verticem pergentes quæ ad aliquantum altitudinis productæ concidantur aliâ octangulâ figurâ, pari tractu ac præcedens, eique ex adverso oppositâ. Tunc datur forma quædam solida quæ in usum vasis usurpari potest. Istiusmodi vasis ante pedes ita dispositi ut facies illius una rectâ lineâ adspici possit, citeriori faciei nomen Austri, ulteriori Aquilonis, dextræ Euri, lævæ Zephyri nomen, quatuor autem aliis partibus octanguli vasis, pro suâ naturali directione, a quatuor cæteris ventis nomina impone : quod si in isto vase septem præcipuarum linearum compositio floralis

(1) Vide præsertim XIV, vol. II, cap. 6, et XXXIII, p. 49 seq.

posita fuerit, juxta magistrorum præcepta, harum linearum primaria ad Cæciam, secundaria ad Liba, tertiaria ad Euronotum, bi-secundaria ad centrum vasis, sub-primaria ad Eurum, inter-secundaria ad Zephyrum et tandem supertertiaria ad Caurum vergere debebit. His igitur positis, sit pusillum florale opus ex inferioris octangulæ formæ centro assurgens, lineisque ad tempus paribus factis, superiorem octangulam formam attingens : tunc bi-secundariæ extrema pars e centro ductæ verticalis lineæ verticem attinget, reliquæ autem lineæ, ut jam notavimus, singulæ singulas medias facies superioris octangulæ figuræ attingent ; vel, posito quod suam quæque linea retineat propriam longitudinem si a cujusque lineæ extremâ parte ad solum ducta fuerit linea recta, determinábuntur quædam puncta quibus alia nova octangula figura efformatur, interposito spatio longiori ambitu minorem figuram, vasis scilicet fundum circumdans, sed vasis hujus formam referens eâdem figurâ, non eàdem dimensione. Hæc artis regula connectitur in mente Japonensium cum aliquâ fictione poeticâ, quâ sexus proprius attribuitur lineis prout ad hanc vel illam partem cœli ducuntur : et hæc ipsa fictio ad id excogitata est ut partes operis floralis quæ ad invicem oppositæ, re discerni non poterant, a loco distinguerentur. Sic quæ Orientem vel Meridiem spectant lineæ, eæ pro masculinis, quæ vero Occidentem vel Septentrionem spectant, pro femineis sunt : exinde caulis ad lævam floralis operis partem primò assurgens, deinde ad anteriorem vel lævam partem directus pro masculo, ad dexteram autem primò, deinde vel ad posteriorem vel ad lævam partem directus pro femineo reputatur. His pro lege statutis, non alienum est addere quod quædam possunt esse exceptiones, quæ tamen raræ et parvi momenti sunt :

nam non sine gravi causâ, post factum longi temporis experimentum, magistri hoc exemplari standum esse statuerunt. Inde compositionem floralem, licet eo confecta ut adversa adspiciatur, diversissimo adspectu esse facile intelligi potest : quod quidem sane necessarium esse videtur, quum ponenda est in toro et conspicienda objicitur artificibus qui lente et amantissime per omnes illius partes oculos circumferent. Id etiam valde consentaneum est cum ingenuâ japonicorum artificum indole qui tantâ religione artem colunt ut eximiæ artis cujuslibet operis omnes tum visibiles tum invisibiles partes pari curâ et studio elaborant.

Superest nunc ut exponamus quænam juxta magistros præcipue vitanda sint (1). Hic sane non agitur de iis quæ in primâ paginâ cujuscumque tractatûs consignata, cuique tironi præcipiuntur, ne scilicet flores in fasciculos vinculo circumcinctos colligentur neve in incomptam congeriem nectantur aut eâ ratione disponantur ut singulæ partes compositionis floralis pares paribus respondeant. Agitur præsertim de iis prohibitionibus quæ ad ductum linearum pertinent. Quasdam ex illis jam supra breviter indicavimus, præsertim eam prohibitionem quâ ne « duplex linea præceps (2) » detur interdictum est : plures autem aliæ majoris momenti sunt. Juxta artis floralis magistros, pro gravissimâ culpâ reputatur « decussis (3) », quæ in eo est quod duæ vel plures lineæ alia super aliam immissæ ducuntur, ita ut spectatoris oculi angulo lædantur. Addi etiam potest « ocularis decussis (4) »

(1) Vide XI, pp. 9-11 ; XXXIII, pp. 16 et 17.
(2) *Riô-dare*.
(3) *Djoumonji-Kiri*.
(4) *Mi-Kiri*.

eodem pertinens, a ramulo et genitali ramo inter se in unâ tantum principali lineâ occursantibus producta. Istiusmodi decussis adhiberi potest tantum in quibusdam arboribus, utputa in pruno, in quâ, contra morem, e naturâ ipsâ admissa fuit. Vitanda est etiam « æquilatio (1) », quam definire supervacuum esse ducimus : etenim posito quod duo aut plures caules, fere æque longi, pari directione disponantur, in barbaram symmetriæ rationem incidi manifestum est. Ad hoc duæ aliæ sunt vitandæ decussis species, nempe « decussis reticulata (2) », quæ in eo est quod ita frequens sit decussis ut compositio floralis, quibusdam saltem in partibus, quasi reticulata, speciem operis viminarii præ se ferre videatur : in alterâ autem decussis specie, ita caules curvantur ut alius super alium immissi, in modum templorum « fenestrarum (3) » figuratos fornices referre videntur.

Ea est summa linearum rationis quæ artis floralis solum atque fundamentum est. Illæ autem lineæ de quibus hucusque in genere tantum tractavimus, floribus vestiendæ sunt, opusque florale ædificandum est juxta formam quam delineavimus. Nunc demum, quænam ad hunc finem eligendæ sint plantæ, quomodo in unum commiscendæ, quâ copiâ grave ratione disponendæ ut juxta hanc atque illam formam opus florale confici possit, tractare tentabo.

Primum quot species plantarum ad opus florale componendum eligendæ sint quærendum esse videtur. Etenim antequam singuli flores per partes recensentur, ante omnia opus est præfinire quot circiter sint adhibendi.

(1) *Naghakourabe.*
(2) *Hishighaki.*
(3) *Mado-Kiri.*

Porro ut in omni artium genere, ita in hâc re recte et eleganter sapientes japonici artifices, justum tenent modum, a quo Europæi prorsus alieni sunt. Etenim quum in Europâ, sine ullo delectu, pro arbitrio nostro, vel ingentes fasciculos ex ejusdem speciei floribus, vel parvos fasciculos ex floribus specie maxima dissimilibus conficere solemnes, quis nostrum huic libidini fines constituendos, certaque principia, quibus pareat, statuenda esse unquam putavit? Sane quidem quum antiquæ scholæ Shin-no-hana et Rikka florerent, placuit Japonensibus, opus florale conficiendi gratiâ, floribus specie diversissimis uti; sed mox ad artis rationem eminentiorem et severiorem pervenerunt. Omnes enim recentiores in hoc errore rejiciendo consentiunt (1), quia nec singula distincte et clare exprimi, nec ex singulis partibus unum quid et apte cohærens effici potest. His quoque illud accedit quod tum artifex tum spectator ad nimio plures variasque res intentus esse nequit, quin utriusque sive scientia plantarum sive ars linearum aliquid detrimenti capiat et minuatur. Licet ergo vel unâ vel duabus aut tribus speciebus uti : species autem diversas sine ullo delectu et promiscue adhiberi vetitum est. Sane quidem unius generis compositio floralis apud gentem illam exquisitissimæ simplicitatis studiosam in auctoritate et magno honore est, nec tamen duorum vel trium generum compositiones raræ sunt, præsertim quum flores in quodam tribus oribus gradatim dispositis vase ponendi sunt. Quidquid sit, sive una, sive duæ aut tres species unà adhibeantur, cum magnâ curâ seligantur necesse est : quod ,fieri nequit nisi advocentur certæ distinctiones

(1) Vide III, vol. I, p. 19 seq.

doctæ, quæ tum ex rerum naturæ animadversione, tum ex artis præceptis constant.

Igitur in deligendis plantarum speciebus, eæ assumendæ sunt, quarum ingenium ad oculorum animique voluptatem aptissimum esse videtur, eæ autem rejiciendæ sunt quarum forma aut color, quod raro accidit, valde repugnant. Hâc primâ selectione factâ, quærendum est quænam ex istis speciebus admissis optime inter se concinant, ut compositiones eligantur quæ ad oculorum voluptatem aptiores sunt, eæ autem rejiciantur quæ minus honestæ aut fastidiosæ essent. Inde sequitur nova series regularum et prohibitionum (1), quæ omnes eo pertinere videntur ne, quibusdam plantarum speciebus formâ, colore et habitu parum dissimilibus in unum inepte collatis, ex eorumdem ingratâ repetitione oculi lædantur. Juxta has regulas, sociatur pinus (2) cum chrysanthemo (3) vel cum rosâ indicâ (4), salix (5) aut camellia (6) cum narcisso (7), acer (8) cum flaventi vel albido chrysanthemo ; nunquam vero sociari potest cerasus (9) cum persico (10), salix cum pruno (11), iris (12) cum orchi (13), rhodea (14) cum nym-

(1) Vide XIV, vol. II, pass.
(2) *Matsou* (Pinus.)
(3) *Kikou* (Chrysanthemum).
(4) *Tchôshioun* (Rosa indica).
(5) *Yanaghi* (Salix).
(6) *Tsoubaki* (Camellia japonica).
(7) *Souizen* (Narcissus).
(8) *Momiji* (Acer).
(9) *Sakouro* (Prunus pseudo-cerasus).
(10) *Momo* (Prunus persica).
(11) *Mme* (Prunus mume).
(12) *Kakitsbata* (Iris lævigata).
(13) *Ran* (Orchis).
(14) *Omoto* (Rhodea japonica).

phæâ (1). Forsan hujusmodi regulæ imperito cuiquam parum arbitrariæ esse videbuntur : re autem a nemine, nisi ab iis qui, facto longi temporis experimento, exquisito judicio utuntur artis, institui potuerunt.

Ad hunc modum plantarum speciebus ad compositionem floralem conficiendam delectis, quædam in illis disponendis servandæ sunt regulæ, in quibus inest maxima erga naturam observantia (2). Etenim imprimis curare debet artifex ut integrum remaneat, imo, si opus sit, augeatur quod cujusque plantæ adhibendæ proprium est. Exempli gratiâ, persici ramus semper recte atque rigide ducendus est, prout persici insigne est ; pruni autem ramus, prout illius natura poscit, in inæquales variasque lineas distorquendus est. Quod attinet ad salicem et wistariam (3), quarum fluentes rami eâ ratione diriguntur ut eorum distinctio nisi oculis eruditis facile percipi nequit, sua utrique propria simul et diversa ratio adhibenda est, ut utriusque insita natura et proprietas diversa clarius appareat. Quoad ejusdem speciei varietates, curare etiam debet artifex ut quæque varietas non solum quod speciei sed etiam quod varietatis ipsius insigne est, retineat. Habere debet rationem tum differentiæ habitûs quæ incurrit oculis : alius est pæoniæ arborescentis (4) habitus, alius pæoniæ herbescentis (5) ; tum differentiarum quæ oculos segnius feriunt : alius est pini communis (6) ramus,

(1) *Kôhone* (Nuphar japonicum).

(2) Recentiores illam antiquam disciplinam, a Miôe Shonin præfinitam et institutam, fideliter retinuerunt : « *Arou bekiyo ni ikerou* », id est : Componere juxta rem ipsam. (V, p. 4.)

(3) *Fouji* (Wistaria).

(4) *Shakou-yakou* (Pæonia albiflora).

(5) *Botan* Pæonia Mautan).

(6) *Shiragha-matsou* (Pinus densiflora).

alius quinque foliis pini (1) ramus ; tum etiam earum differentiarum quæ nisi a perdocto viro, minime percipi possunt : quales sunt differentiæ quæ innumerabiles iris varietates (2) in infinitum distinguunt. In summâ, non solum danda est opera ut suo cuique ramo aut cauli maneat forma propria, sed etiam necesse est ut perfecte cognoscantur proprietates essentiales speciei cujus est ramus aut caulis, ita ut quam proxime ad formam hujus speciei accedat : quod si natura ipsa, aut propositi immemor, aut operis impar fuerit, officium artificis erit hunc naturæ defectum emendare juxta leges generales quas natura ipsa edidit, quibusque et ipsa parere debet. Scientia autem, quæ hujusmodi regularum solum et quasi fundamentum est, multam habet difficultatem, ideoque artis floralis magistri a quâcumque compositione omnem raram vel parum notam, sive adventiciam, sive domesticam plantam segregandam esse præceperunt, nisi prius floralis operis compositor quodnam sit illius plantæ ingenium, quæ natura apprime noverit (3).

Quædam etiam de alia distinctione, quæ pertinet ad solum ubi nascentur plantæ (4), dicenda esse supersunt. Alio enim modo componi et inter se concinere debent montanæ, alio campestres, alio aquaticæ plantæ. Sane

(1) *Goyô-matsou* (Pinus parviflora).

(2) Tales sunt *Hana-shobou* (Iris lævigata), *Shagha* (Iris japonica), *Ayame* (Iris sibirica), *Himeshagha* (Iris gracilipes), *Itchihatsou* (Iris tectorum), etc.

(3) « Tirones, ait Nanrite Soujin, arti florali impensam operam dent ; attamen tantum vulgatæ notitiæ vel ære partos vel ex hortis desumptos flores componendo sese exerceant. Quânam enim ratione raræ et plerisque iguotæ plantæ disponendæ sint, quænam recte adhibendæ sint, scire et invenire summi artificis est. » (XIV, p. 21.)

(4) Vide III, p. 40.

equidem quasi ad libitum variari potest compositio floralis : exempli gratiâ, si cui vasi ora tria fuerint gradatim disposita, in superius inseri potest pini ramus, qui montem ad memoriam revocet, in medium herba campestris quæ vallem aut campum significet, in inferius herba aquatica quæ rivum aut rivulum repræsentet, eâ intentione ut hæc tria simul breviato prospectu amplam regionem animo recogitandam offerant ; vel etiam, ordine mutato, solutâque eâ regulâ juxta quam terrenæ plantæ aquaticas plantas honore antecedere debent, in superius aquatica planta, in medium terrena planta, in inferius autem arboris ramus inseri potest : tunc superioris plantæ habitus depressus, mediæ minus altus, inferioris autem sublimis erit, ut plantarum species et prospectus lacum in montis cacumine positum, in latere pratum, sub radicibus montis silvam spectatoris animo recogitanda offerant. Quantacumque autem artificis uberiori ingenio facultas facta fuerit, nunquam plantas originis loco distinctas confundere poterit quin, ex arte contrariis contraria opponendo, naturam quidem ornare, eam tamen colere et sequi videatur.

Imprimis curare debet artifex ut arbores et herbescentes plantæ (1) perite pervarieque socientur : quo nihil rationi

(1) *Ki* et *Ksa*. — Vide III, p. 50. — Olim botanici apud Japonenses plantas dividebant in herbas et arbores ; quorum si consulantur libri præcipui qui de arte botanicâ disserunt, — id est *Kouai* (Selectio plantarum), 8 vol. figuris illustrata, auctore Yonansi (1759) ; *Hondzo-Dzfou* (Tractatus de arte botanicâ figuris pictis illustratus), 96 vol., auctore Iouasaki Tsounemasa (1828) ; et præsertim *Sômokou Dzoussets* (Tractatus de arte botanicâ figuris illustratus), 20 vol., auctore Inouma Tsiodjoun (1856), — istiusmodi libros semper bipartitos esse constat, quorum altera pars de herbis, altera de arboribus tractat. Nec mirum ; etenim hæc distinctio ex obviâ rerum specie instituta, sæculo ante Christum quarto jam usitata apud Theophrasten Aristotelis discipulo

conformius, siquidem ars, de quâ agitur, tota in eo est ut tum ex quibusdam arte compositis plantis generales formæ virentium exprimantur, tum ex peritâ doctâque omnium partium concinnitate ampla regio animo recogitanda offeratur. Caveat artifex ne tum in ramis et caulibus sociandis, tum in lineis ducendis serviat symmetriæ, quæ haud secus ac similitudo prorsus vitanda est. Igitur si trium linearum opus florale conficiatur, ad primariam arboris uno ramo, et plantarum duobus caulibus ad secundariam et ad tertiariam uti non licebit. Unde quum, in trium linearum opere florali, duæ ejusdem generis partes sive ramorum sive caulium necessario reperiuntur, vel unum ex ramis, si ramus duplex, caulis vero unus sit, vel unum ex caulibus, si caulis duplex ramus autem unus sit, ad primariam adhibendum esse manifestum est. Sic nunquam iris, quippe quæ planta est, ad primariam, rhododendron (1) utpote quod arbor est, ad secundariam, camellia, quæ et ipsa arbor est, ad tertiariam assumi poterit : sed verno tempore, ad floralem compositionem, optime eligi poterit pro primariâ persicus, pro secundariâ ca mellia et pro tertiariâ narcissus ; autumni autem tempore ad primariam simul et secundariam acer rubescens (2), et ad tertiariam chrysanthemum aureum (3) belle faciet.

de « Historiâ plantarum », etiam mediante sæculo decimo octavo apud nostratem Tournefort ut vulgata occurrit, siquidem ex eâdem ipse distinctione plantas distribuit, quamvis sæculo jam antecedenti a Rivin leipsigensi remota fuisset ea ratio, quæ nihilominus prævaluit usque ad tempus quo Linnæus juxta sexum plantas distinguendas esse demonstravit. Cæterum quod ad artem floralem spectat, etiam nunc ejusdem virtutis est ac olim.

(1) *Tsoutsouji* (Rhododendron indicum).

(2) *Arisoughaoua-momiji* (Acer polymorphum).

(3) *O-ghikou* (Pyrethrum).

Nonnunquam distinctio inter subtilissimas erit : sic si adhibenda sit bambusa (1) quæ a Japonensibus neque arbor neque planta plane esse censetur, viderit ipse artifex præ aliis duabus speciebus adhibitis, cuinam speciei adscribenda, in quo loco disponenda sit ut opus florale apte cohæreat. Placet equidem quibusdam scholis, contra has regulas, quibusdam saltem in casibus, uti arbore ad primariam, et duabus plantis ad secundariam et ad tertiariam : tunc vero requiritur ut ad primariam montana arbor, ad secundariam vallestris vel aquatica planta, ad tertiariam campestris planta adhibeatur, vel vice versâ ; similiter uti licet ad primariam pini ramo, et ad secundariam altero pini ramo, modo hæc pinus a pino ad primariam adhibitâ varietate differat. Hujusmodi exceptiones, quæ auctoribus haud spernendis paulatim in consuetudinem venerunt, faciunt ut clarius appareat et manifestetur reverentia, quâ omnes generalem regulam prosequebantur. Aliunde hujus regulæ ratio, præter id quod symmetriam repellit, facile intelligi potest ex sexu quem Japonenses omnibus gignentibus tribuunt : etenim quum, a Japonensibus arbores sexûs masculini, plantæ autem sexûs feminini esse censentur, quâdam plantâ ut primariâ inter duos ramos arborum mediâ stante, haud dubium est quin operis floralis medium tum oculis tum animo levius et gracilius esse videretur : in contrariâ hypothesi primariæ pondere viribusque totum opus obrueretur. Sic hujusmodi poetica fictio, minime rationi repugnans, quâ omnibus gignentibus utriusque sexûs natura tribuitur, plurimum juvat estheticem, cujus arcana principia manifestat, cuique novum decorem addit.

(1) *Take* (Bambusa).

Ex allatis exemplis viridia in japonicis floralibus operibus maximam partem obtinere perspici potest. Sæpe enim omni flore caret opus, illiusque tota pulchritudo ex perfecto linearum ductu, ex pulchrâ variâque foliorum formâ et ex varietate viridis coloris est. Ut autem Japonensibus, a nostratibus longe dissentientibus, flores foliis orbati, ita etiam illis folia floribus vidua sordent, nisi perpetuo virentium arborum aut plantarum sint. Quoad cæteras species, ea lex est, ne plantæ flores mittentes, tantum pro foliis, plantæ vero aut arbores tempore florum foliis vestitæ, pro floribus tantum adhibeantur. Hæc regula nobis valde probanda esse videtur : floralis enim operis compositor non virides aut quocumque alio colore distinctos fasciculos conficere, sed plantarum insignes conspicuasque proprietates referre sibi proponere debet. De numero excerpuntur tantum quædam plantæ, quarum flores aut folia non digna sunt quæ serventur : sic orchis sinensis (1), quæ vix super terram emergit, pro plantâ floribus carenti reputata, propter pulcherrima folia tantum adhibetur, narcissus vero æstatis (2), qui foliis jam exustis florem mittit, pro plantâ foliis orbatâ reputatur, adhibeturque tantum ob egregios flores, e quibus « aureæ columnæ (3) » nomen accepit ; nec prætermittenda est iris japonica (4) cujus folia ante florem sola adhibentur : tunc autem propriâ notatur appellatione (5) quam tempore florum amittit (6).

(1) *Haran* (Plectogyne variegata).
(2) *Souizen* (Narcissus Tazetta).
(3) *Kintô-sô.*
(4) *Shagha* (Iris japonica).
(5) *Kôtchôke.*
(6) Tunc nomine *Shagha*, quo communiter designatur, vocari solet. (Vide XI, p. 14.)

Generatim autem folia et flores simpliciter simul et concinne in unum commiscenda et componenda sunt. Ut ratio hujus concinnitatis clarior fiat, satis est indicare quæ juxta magistros artis maxime vitanda sint (1). Ea imprimis referenda sunt quæ symmetriæ adjuncta sunt : nempe « æqua dispositio (2) », quæ locum habet quum, ad opus florale uno caule duos tantum flores ferente adhibito, caulis flores, quasi furcæ aculeis religati, ita alter alteri respondent ut in latitudinem operis partes injucunde quadrent; « dispositio in scalarum speciem (3), quæ in eo est quod grandes flores ad instar quorumdam europæanorum fasciculorum, ordinatim struuntur, ita ut in altitudinem injucunde compositionis floralis partes pares paribus respondeant ; item « dispositio juxta colores (4) », quæ locum habet quum duo ejusdem coloris flores utrâque ex parte floris colore differentis disponuntur, si minus ob speciem, at certe ob colorem, ad symmetriæ rationem referenda esse videtur. His accedit quoque « adversus ramus (5) », seu ramus rigide, indecore rectâque lineâ productus ; « bulla (6) », seu latum amplexumque folium duobus foliis interpositum, quæ quidem dispositio nobis potius vulgatæ notitiæ trifolium, Japonensibus autem illud ex metallo factum ornamentum quo domorum clavi teguntur, in mente revocare videtur ; denique « folium rore inclinatum (7) », seu folium ita languidum ut roris guttam ne unam quidem sustinere posse videatur.

(1) Vide XI, pp. 9-11 ; XXXIII, pp. 16 et 17 ; XXXIX, p. 226.
(2) *Tsoui-no-hana.*
(3) *Dan-dan.*
(4) *Tsoui-no-iro.*
(5) *Ore-Koughi.*
(6) *Koughi-Kakouci.*
(7) *Tsouiyou-otoshi.*

Summatim autem varias flores componendi rationes, quæ tum florum tum foliorum essentiali naturâ continentur, edisserere parum est. Flores enim et folia corporis viventis partes sunt, et ordine, sicut corpus ipsum, vicissitudines et mutationes experiuntur, nascuntur scilicet, crescunt et deflorescunt. Igitur habenda est ratio harum mutationum, quibus plantæ aut arboris cujusque partis vultus valde mutatur. Quod ad id spectat, tum foliorum tum florum distinguitur triplex evolutionis gradus, juxta quem, solito de more, fixus eis attribuitur sexus. Quoad flores, in omnino dehiscentes, semi-dehiscentes et non evidentes flores dividuntur. Itaque quum ad opus florale conficiendum unius ejusdemque speciei plantæ aut rami sumuntur, utputa cerasi rami, juxta rationem ab omnibus fere admissam, ad primariam flores dehiscentes, ad secundariam semi-dehiscentes, ad tertiariam autem flores non evidentes assumendi sunt. Attamen quum flos semi-dehiscens omnino dehiscente flore fortior esse ducitur, flore dehiscente ad secundariam assumpto, flos semi-dehiscens, juxta quosdam, ad primariam eligendus esse videtur. Quod attinet ad folia, dividuntur in viridi lenitate novella folia, crassius virentia adulta folia, et caduca rubescentia folia, juxta ejusdem modi rationes distincta suo loco disponuntur ; eæ autem rationes aliter ab aliis traduntur. Præterea varianti colore foliis autumni (1) sua assignata est distinctio : nempe in rubentia, flaventia et virentia folia dividuntur, semperque ad primariam rubentia, ad secundariam virentia, et ad tertiariam flaventia folia assumuntur. Ut autem flores et folia inter se concinant, in his et illis quid infirmum, quid firmum esse dicatur, scire oportet : etenim ut

(1) Communi vocabulo *Kôyô-mono* designantur.

flos dehiscens flore silenti firmior esse putatur, sic folium rigidum et rectum pro firmo, deflexum autem ac pendens folium pro infirmo habetur. Igitur quum hujusmodi flores et folia consociantur, infirma folia juxta dehiscentes flores, firma autem folia juxta silentes flores potissime ponenda sunt. In altitudinem eadem servanda est ratio, siquidem flos folio subjectus, superiori folio infirmior esse putatur : exinde nova admovenda est ratio ut totum opus florale ex æquo temperetur. Denique, ut cujuscumque floris anterior pars pro masculinâ, posterior pro femininâ reputatur, sic etiam cujuscumque folii superior pars pro masculinâ, inferior autem pro femininâ reputatur ; exinde necesse est tum flores, præcipue maximi ut pæoniæ vel chrysanthemi flores, tum folia, præcipue amplissima ut loti (1) et nymphææ folia, alternis partibus disponantur, ut, inferiori et superiori parte in vices versâ, opus florale diversissimas species offerens oculos blande excipere valeat. Insuper, sexus tum colori tum formæ attribuitur ; sic pro masculino ruber, violaceus, roseus et variegatus color, pro femineo cæruleus, flavus et albus color reputatur ; exinde mirum in modum varii isti colores jungi et copulari possunt. His accedit illud quoque, quod, si ejusdem speciei varietates tantum considerentur, suus cuique locus juxta colorem assignatur ; communiter ea maxime probatur varietas quæ flores albos mittit : attamen primum tenet locum languide roseo colore varietas cerasorum et persicorum, acerrime rubenti varietas cameliiarum, languide violaceo colore varietas wistariarum, pressiori violaceo colore varietas iridis, fusco cæruleo colore varietas

(1) *Hasou* (Nelumbium speciosum).

convolvulorum (1), flavescenti colore varietas chrysanthemorum, atque hujusmodi multa : quæ quidem omnia, etsi ex naturâ continentur, non parvam facessunt difficultatem ad opera floralia componenda in quibus hujusmodi flores reperiuntur. Sit ergo ut ad unam floralem compositionem conficiendam unà peragendæ sint pleræque e quæstionibus quæ de præcedentibus regulis exoriuntur (2) ; quam multa et diversa principia consocianda ! quot res difficiles ! quam magnam scientiam, quantam artem requirunt ! Ars autem et scientia illa, quæ primo aspectu minimas et supervacuas res nimiâ religione curare videntur, optimi tamen artificis manu mirum in modum inter se concinunt, manifestumque est, oculis proposito eximiæ artis opere, artificem naturæ elegantiam imitatione consequi non posse quin eam ingrediatur viam quam natura ipsa persequitur.

Quas hucusque digessimus regulas, eæ ad opus florale affabrè conficiendum satis aptæ esse videntur : imo dispositâ magnifice linearum structurâ, et juxta illas perite constructo florali ædificio, non videtur quid amplius addendum sit, quo opus perficiatur. Non ita res est, nec Japonensibus opus exactæ artis esse videbitur nisi compositio floralis, non solum quoad omnes partes apte cohæreat, sed etiam conveniat tum cum tempore quo conficitur, tum cum loco in quo ponitur, tum cum vase in quo collocatur, tum cum tabulâ ante quam proponitur, tum cum cubiculo cui ornamento est, tum cum horto quem cubiculum prospicit. Nunc quâ ratione opus florale cum tempore quo componitur convenire debeat, videamus.

(1) *Asaghao*, id est, « Decus matutini ». (Pharbitis triloba.)
(2) His de regulis, vide XXXIII, p. 98 seq.

Videte quantum inter nos et Japonenses intersit ! In diem enim minus sapere et quid sit vera ingenuaque plantarum natura minus sentire videmur; nec jam idonei esse videmur qui, quod maxime simplex est, id potissimum probandum esse putemus, utpote qui ex levibus rebus, quas exquisitas esse in animum inducimus, in pueriles delicias rudisque sæculi mores redire videamur. Sic in hortis, peregrini flores magis quam Galliæ flores nobis arrident : ex hâc unâ re maximam laudem capere studemus, si in clausis magnâ impensâ ædificatis flores maturiusve tardiusve, alieno utique tempore exeant : nihil amplius desideratur, quum naturæ ipsi vi allatâ, non equidem aliquid superans ea, quæ terra sponte suâ gignit, quo sane nihil rationi conformius esse potest, sed nescio quid deformosissimi producitur, utputa dianthi virides aut nigræ rosæ, res informes et sordidæ quæ sub sole barbariæ nostræ quasi summa testificatio esse videntur.

Ut hominibus ipsis, sic gentibus ipsis sua insunt blanda infantia, plena maturitas et proh dolor! sæpe etiam extrema senectus quâ , amisso virentis florentisque ævi blando lepore, retentâ autem fœditate quæ cujusque fluentis prolabentisque rei assidua comes est, ad alteram infantiam revolvere videntur. Nonnunquam ad hunc modum omnes animi mentisque potestates conquassantur; quandoque autem quædam ex illis tantum consenescunt. Non equidem nostratum mores inclinatos, mentis animique potestates conquassatas, rempublicamque in deterius prolapsam, in extremo esse judicamus. Etenim non virtutis carentes sunt, utpote qui honestate, animi robore præditi laborisque patientes sunt : nec dedignandam esse puto eorum scientiam quæ, quasi superbum perenneque monu-

mentum, cui quisque pro suâ parte aliquid confert, erectum, in diem fulgentior splendidiorque fit; nullâ ætate majus fuit recti justique judicium, siquidem a philosophis, papis et imperatoribus, ad postremum sive ex ruris magistris et vicariis, sive ex urbium magistratibus, omnes ad unum ea quæ ad omnium civium utilitatem pertinent, in quæstionem saltem vocanda excutiendaque esse profitentur. Attamen licet quædam ex animi dotibus vivæ firmioresque sint, quædam vero deficere videntur, deficiente novâ materiâ circa quam exerceantur : ita se habet rectum judicium sub quocumque respectu. Qui architecturæ, qui musicæ, qui picturæ, qui litteris dant operam, artem ad ruinam laboriose impellunt, vulgus autem magis malesanâ aviditate artem ad ruinam trahere videtur; magis atque magis in dies tum in arte, tum in naturâ, a veritate abhorrere videmur.

Nos incultos rudesque homines ! hortum Dei pervastavimus ! Fas erat nobis, ut in Galliâ, in locis amœnis degere vitam, modo quæ præ oculis erant ea et servare et intelligere placuisset. Instantior autem cura fuit omnia mutare et confundere, tum universa, tum singula instaurare : nec ob aliam causam aliquid a nobis relictum fuit, quod natura nunquam ab incœpto absistens, et barbariam nostram pervincere, et non nihil pulchritudinis retinere valuit. Nobis erant plantæ ad cœli mores accommodatæ, silvæ et prata, sublimi vertice arbores, venustaque patria virentia, quercus in quibus delitescebat viscum in majorum annalibus tam celebre, opaca nemora notis floribus distincta, halantia floribus prata ; nec deerant plantæ, probatissimæ candidis medicis, empiricis quidem ut ætatis nostræ medici, nec tamen minori prudentiâ præditis : etenim si, exempli gratiâ, salvia vis morbi levandæ nonnunquam impar fuit, forsitan

rarius ægrotantes absumpsit quam Asiæ venenosis plantis expressa toxica. Nobis erant verbenaca, vinca pervinca, bellis et convallaria, marinus ros et amaracus, deliciæ et amores majorum nostrorum, quæ nostri cecinêre poetæ. Tempore quo redeunt gramina campis, ad primum leporem verni solis, abunde erat cernere primulas veris et ranunculos matutino natos ; posterius autem, ætatis sub ardenti sole, quum via plurimi pulveris est, juvabat visere rhæades et cyanos flavescentibus messibus internatos, arbustaque cicadis resonantia ; tristibus vero autumni temporibus, nocte jam incipiente, quum summa culmina villarum fumant, colchi malvacea, violaceasque scabiosas jam pruinis albicare incipientes, tandemque terrâ nive opertâ cœloque in terram quasi depresso , passim per niveum velamen rusci baccas rubras cernere dulce erat.

Sed incredibile dictu ! Dum hujusmodi blandimentis uti potuimus, nemo ex nobis præter quosdam humillimos et simplices, quid valeant sentivisse videtur : præcedenti autem sæculo, quum artis peritus quisque quid sit natura tandem sentire et intelligere cœpit peregrinæ plantæ solum patriæ obtinuerunt. Proruit, furentis fluminis instar, rudi specie, duro colore, odoreque aspero florum vis maxima, qui agros et hortos absumpserunt, omniaque tum floralia loca, tum popularium nostrorum mentes, tum varios naturæ aspectus, tum hominum judicium deturpaverunt et corruperunt. Jam non inter se concinere valent miseræ humilesque patriæ plantæ, quippe quæ per istiusmodi multitudinem tantamque peregrinarum plantarum cœli nostri impatientûm colluviem intermixæ latent. Exinde totus perturbatur temporum ordo, floresque isti, ex alio orbe convecti, solisque nostri nescii haud secus se habent quam si in Indiâ aut Javâ adhuc essent : regionis nostræ naturæ

omnes leges concinentiamque violant, utpote qui, temporibus anni et floribus inter se non congruentibus, præpostere inepteque dehiscunt. Tristes enim verno tempore, æstate pallentes, autumni autem tempore læti flores nascuntur. Quum mœstâ hieme repulsâ ridet ager, ruptâque terrâ gemmæ aguntur, livens fuschia miseros pendentes flores demittit : posterius autem quum natura squalere incipit, horribilis dahlia tempore alieno inepte ridet. Jam non amplius inter se concinunt plantæ et solum, nec ullum affinitatis vinculum inter plantas ipsas conspici datur : natura ipsa ita penitus ignoratur ut nec animos fideliter commovere possit, nec vim ullam admonitionis retinere videatur. Periit jam omnis naturæ lepos ; ubique confusio et deformitas.

Longe alia mens est Japonensibus, artium intelligentissimis, qui, licet pro decursu temporis summum cultûs apicem adepti, nunquam simplicitatem rejiciendam esse putaverunt : nunquàm enim vitæ felicitatem in quæsitissimis voluptatibus appetendis sitam esse duxerunt ; merito putant in hoc homines vere esse felices quod parvis ac parabilibus oblectamentis frui et uti sciant. Nihil hoc rectius excogitari potest : etenim vita nostra brevis est, nec nimis est, antequam e vitâ cedamus, ex ordine quinquagies aut sexagies spectare speciosam florum seriem quam natura, omnium artium domina, velut duodecim partibus magnâ varietate consertis lente explicat. Sane equidem summa felicitas non in raris rebus quærendis, sed in obviis rebus plurimâ perfectissimâque arte adornandis ponenda esse videtur. Hanc summam vitæ voluptatem adepti sunt Japonenses qui fere semper festa agentes naturamque summâ reverentiâ colentes, nugis et modicis rebus blande delectantur. Ex iis omnibus, patriis floribus,

quorum cuique suus in calendario assignatus locus et propria laus est, novos et ex alio orbe convectos flores semper Japonensibus posteriores esse facile colligi potest. Equidem ab octavo sæculo optimates pæoniam, felicitatis florem (1), Sinæ florum dominam coluerunt, quippe quæ optimarum artium perito cuique Japonensi imago est regionis a quâ mansuefacta et exculta fuit Japonia. Nec etiam desunt qui colunt lotum, Indiæ florum reginam, Japoniæ autem omnium sacrorum funebriumque florum principem, cujusque buddhistici monasterii in stagno frequentissimam (2), quia animi puritatis, vitæque futuræ figura est. Hujusmodi plantæ, quum magna multaque significant, inter cognatas Japoniæ plantas honorifice adscitæ fuerunt : nunquam autem illæ pro his, vel etiam una pro alterâ accipitur, nec unquam cuiquam non inurbano in mentem veniret ex pæoniæ vel floribus solis unum fasciculum componere ; quid enim vel litterato ex Tôkiô, quem stantibus ante oculos pæoniæ floribus, priscis sinicis characteribus versus scribere juvat, vel buddhistico monacho, qui ante loti flores in contemplatione versari solet, cum popularibus nostris ingentem hortensiæ florum fasciculum inepte et stolide admirantibus ? Cæterum cuicumque sincere japonico pro religione est ut japonicos flores adoret ; nec eos in suâ mente separat a regulari mensium successione quibus naturaliter florent : inde nulli unquam, quos natura ipsa suâ sponte non genuerit, flores carpere et intra tecta comportare placebit. Ut inurbani nostrates fere semper maxime rara et intempes-

(1) *Fki-sô.*

(2) Japonenses, cor purum laudandi causâ, illud loto in medio luto crescenti assimilare solent : « *De tchou no hatchisou.* »

tiva, sic Japonenses in omni judicio elegantissimi et recti, ea tantum probant, quæ non magno parabilia sunt et apte conveniunt cum temporibus anni. Ex iis omnibus quam apte conveniant opera floralia cum temporibus anni facile intelligi potest.

Hæc primaria lex, cujus rationes hucusque signavimus, a magistris in libris eorum multimode applicanda traditur (1). Imprimis, quum in dato anni tempore hujus temporis proprii tantum flores ad opus florale assumendi sunt, varietates bis in anno florentes, semel tantum, eo scilicet tempore quod maxime cum earum ingenio congruit, adhibendas esse manifestum est. Sic exempli gratiâ rejiciuntur flores pulcherrimi cujusdam varietatis persicarum arborum (2), quippe quæ æstate tantum floret : nam persicæ arboris flores præcipue, nec immerito quidem, ut temporis verni proprii reputantur (3). Hujusmodi flores ab artificibus « mortui » (4) flores nuncupantur ; « extinctus » (5) autem dicitur flos qui, jam consumpto mense cujus proprius est, imperite adhibetur. Per oppositionem « viventes » (6) dicuntur flores qui tempestive adhibiti præsentem naturæ aspectum quantum saltem fieri potest, clare exprimunt. Præcoces (7) vero flores paucissimi quibusdamque tantum casibus permittuntur, præter legem generalem quâ quidquid præcox aut tardum, id est, quid-

(1) Vide præsertim XIV, vol. II, pass.; item XXXIX, p. 159 ad 163, ubi florum singulis mensibus propriorum album inveniri potest.
(2) *Kam-momo* (Amygdalis persica).
(3) XIV, vol. II, p. 21.
(4) *Shikka.*
(5) *Dzanka.*
(6) *Shôkka.*
(7) *Hayazaki.*

quid extra legem communem est, prohibetur. Quid autem de plantis quæ plura anni tempora tenent (1) ? Potest artifex eas adhibere hisce temporibus anni, modo diligenter speciales proprietates observet quibus unaquæque singulis temporibus successive insignitur, easque maximâ arte referat. Ex eis facile intelligi potest quantam scientiam requirat ars floralis ! Exempli gratiâ inter flores notare juvat chrysanthemum, cujus habitus modo rectus, modo inclinatus, alius est æstate atque autumno (2); inter plantas quæ vel pro floribus, vel pro foliis adhibentur, numerari potest iris quæ a vere ad autumnum perfert, cujusque folia varie curvantur, florentesque caules diverse in longitudinem excrescunt pro anni temporum diversitate (3); inter vero frondescentes arbores, vel viridis et rubri coloris varietatibus numerosum acer, cujus folia, a tempore quo primum explicantur, usque ad hoc tempus quo primo frigore curvantur, diversissimas propeque innumeras formas induunt : vel salix, quæ trifariam tractanda est : verno enim tempore fluentes illius rami, graciles, rari, passimque sparsi ut aurâ levi vibrantes, apparere debent; æstate et autumno, quasi ventorum vi inflexi; hieme autem nivis pondere quasi gravati oppressique repræsentari debent (4). In summâ, ne diutius in singulis consistam, omnes plantæ, quicumque sit uniuscujusque habitus proprius, quoad facultas feret, communem rationem temporis anni cujus sunt, referant : sic in verno tempore florali operi simplex modesta simul et pollens species sit, æstate uberior, autumno humilior, et hieme tristis

(1) Communi vocabulo *Shikidzaki* designantur.
(2) XIV, vol. II, p. 22.
(3) XIV, vol. II, p. 21.
(4) XIV, vol. II, p. 159 et 163.

sit (1). Similiter in eodem anni tempore plura distingui debent momenta, quorum nullum non sua proprietate signatum : sic exempli gratiâ, mense septembri quum ventus vehementer sævire solet, ita totum opus inclina-

(1) Hic denuo apparent principia *In* et *Yô*, quæ a veteribus Japonensibus, ad anni tempora et diei horas designandum, poetice simul et ingeniose adhibebantur. N° XIV, vol. I, cap. 5, pag. 6, videre est « descriptionem mutationum *In* et *Yô* pro tempore », cujus ratio hujus ævi Japonensibus non prompta est ; ad extremum tamen illius significationem excogitare potuimus.

Illius descriptionis intelligendæ gratiâ, notandum est apud japonicos philosophos hominum indolem duplici genere esse : scilicet indoles in *yô*, in fortunatâ eâ regione multo communior, est jocosi et hilaris hominis, qui lætus inter naturales delicias vitam agit, affabilis, promptus animo, diversitatis amator, et a minoribus etiam hujus sæculi voluptatibus non alienus ; et indoles in *in* est ploratoris, atra bile perciti, qui nonnisi solitudine et taciturnâ tædii continuitate delectatur ; utraque autem indoles aut simul, aut successive existere possunt in eodem homine. Hinc facile cogitari potest perpetua *yô* et *in* evolutio, quâ alterum altero sine intermissione temperatur, et omnia vicissim radiosâ claritate aut lugubri caligine perfundit.

En vernum adest tempus, quo flores ridere incipiunt, et suavibus aerem odoribus complent, quo garriunt aves, et omnia in vitam prorumpunt : procul dubio temperies *yô* redolet ; econtra tristis ac mœrens supervenit autumnus, quo folia cadunt, funebri ac vastatâ specie lugent agri : *in* resonant universa. Inde duplex ab adverso motus, cujus initium hinc ab hiemali solstitio mense decembri, illinc ab æstivo solstitio mense junio est. Naturalis rerum successio, frigoris, ventorum ac nivis, decembris exitum charactere *in* insigniunt ; sed jam pruni florescunt, spes veris hiemem quasi lux noctem illuminat ; jure ergo mense decembri exeunte, fingitur incipere nova ad notam *yô* progressio. Regnante junio, summa lux est, summus calor, summus naturæ triumphus ; sed hæc ipsa virtutis *yô* exuberantia proximum ejusdem defectum præsignat ; jam non longe abesse autumnum præsentitur, et robur *in* mox prævaliturum : non ergo sine causâ huic mensi attribuitur exordium incrementi, quo paulatim *in* plane victor exiturus est. Hæc scribo in monte sacro Nikkô, junio splendenti et ardenti : in meridie calor terram quasi obruit ; mane autem et vespere, aura frigescens oritur, autumnum jam prænuntians, et cicadæ, licet indefessæ, subito tacent

bitur ut Cauri violentiâ quasi quassatum videatur. His faventibus regulis, opus florale secundum artem et poesim multâ significatione pollet : specie enim illius compendiose exprimitur non solum quomodo singulæ plantæ suo tempore se habeant, sed quibus signis anni tempora ab invicem distinguuntur. Hinc scientia plantarum ad artem

velut attonitæ, ita ut *yô* locum adhuc tenente, mens jam *in* frigiditatem præsentiens inhorrescit. Mox celebritate astrologicâ die julii septimo peractâ, vox tympanorum mœrore gravis, compresso ac reboante strepitu per montem sacrum resonabit, et a die decimâ tertiâ ad decimam quintam ubique defunctorum solemnis agetur commemoratio ; hoc funebri cultu totus julii mensis luctu mœstus, manifeste *in* colore afficitur ; eâ de causâ etiam decet exitum a junio quasi ingressum ad *in* æstimare.

Eadem evolutio apparet in horarum successione. Communiter dies est in *yô*, nox vero notâ *in* insignitur. His ipsis verbis uti solent poetæ ad exprimendos animi motus, quibus diverse afficiuntur ad sonitum campanæ horas sonantis, prout mane vel vespere tinnit. Japonenses diem dividebant in horas duodecim, unam pro duabus europæanis, et zodiis respondentes (*djou-ni shi*); quæ sunt hora muris a mediâ nocte ad horam secundam ; hora tauri ab horâ secundâ ad quartam ; hora tigridis, a quartâ ad sextam ; hora leporis, a sextâ ad octavam ; hora draconis, ab octavâ ad decimam ; hora serpentis, a decimâ horâ ad meridiem ; hora equi, a meridie ad horam secundam ; hora capræ, a secundâ ad quartam ; hora simiæ, a quartâ ad sextam ; hora galli, a sextâ ad octavam ; hora canis, ab octavâ ad decimam ; postremo hora apri, ab horâ decimâ ad mediam noctem. Porro clare intelligi potest hujusmodi longas horas, in quibus apparenti progressione lux vel tenebræ crescere et sic varie animos afficere poterant, facile in classes juxta *yô* vel *in* dividi potuisse. Inde horæ in *yô* ab horâ muris initium sumpserunt, quia hæc hora dulcem adventantis diei spem affert : ab horâ autem equi, summum horarum in *yô* locum tenente, jure incipere debebat descensio ad *in*, id est, regressio noctis.

Item compositiones florales, saltem quoad tempora anni, juxta hæc principia ordinatæ fuerunt ; quod spectat ejusdem diei horas, *yô* et *in* principiis nihil loci esse evidens est. Exemplum de floralibus navibus allatum (vid. p. 148) alia ratione poetica fundatur.

conducit, et attentâ rerum observatione perceptis pulchritudinis mentem ad fictionem poeticam elevat.

Hucusque vidimus quomodo compositio floralis cum tempore conveniat quo flores nascunter. Exinde dicendum est quomodo convenire debeat cum loco et rebus circumstantibus, imprimis autem cum vase quo sustentatur : nam flores et vasa simul convenire maxime necesse est, et ad id primum attendendum est. Atqui ex unâ parte, vidimus hujusmodi compositionem, ex naturali rerum imitatione et ingeniosâ artificis industriâ, ob linearum formarum et colorum doctam varietatem diversam pulchritudinis speciem, id est, simplicem aut luxuriosam, modestam vel ambitiosam, gratiosam vel austeram præ se ferre : infra autem enarrabimus quomodo ex fictione Japonenses de quocumque flore mirum aliquid referant, ac propterea florum compositor præter rationem estheticam ad hanc poeticam rationem debet attendere, ut ex utriusque conspiratione unus effectus perficiatur. Aliunde nemo nescit vas, quâcumque specie sit, non sine artis ratione confectum esse ; itaque ad artem aliquo modo refertur, sive formâ sit simplici vel luxuriosâ, modestâ vel ambitiosâ, gratiosâ vel severâ, ac, posito quod etiam de vasorum formis successive excogitatis, mira non pauca referantur, item, quod ad vas attinet, rationi estheticæ accidet specialis quoque ratio poetica : ita si vas et flores ad invicem conferuntur, statim apparet inter hos et illud aliquam relationem sive similitudinis sive oppositionis existere debere, et in quocumque eam inter vas et flores aliquam connexionem necessario instituendam esse ut opus integrum suam habeat pulchritudinis expressionem sive estheticæ sive poeticæ : esthetica quidem expressio pluris facienda est quam poetica, sed utraque tamen ut

pars essentialis consentiat necesse est ut opus pro perfecto habeatur. Inde plurima mutuo congruentia vel repugnantia, quibus attendendum est, et in hâc tam diversorum mutuâ temperatione ab eâ duplici artis ratione nihil deficere artis summa ratio est.

Vasorum diversitas primo considerari potest vel ratione materiæ vel ratione formæ. Ratione materiæ, vas fictile, ferreum, cupreum, æreum, ligneum et vimineum esse potest : his rebus jam pro materiæ diversitate quam diversa expressio est ! Ratione formæ, tanta fuit Japonensium ingenii ubertas, ut tot tamque mire inventa ingenioseque facta in genera vel dividere longum esset (1) Sat est notare vas quod antiquitùs primo in usu fuit (2), collo procero arctisque faucibus fuisse ; attamen quum hujusmodi vas gracilibus tantum compositionibus recipiendis, quæ haud facile confici possunt, aptum esset, mox illi substitutum fuit brevi collo patentibusque faucibus aliud vas (3), quod amplissimis facilioribusque compositionibus excipiendis aptius erat. Hinc colligi potest antiquitùs quæstionem de relatione vasis ad opus florale institutam et solutam fuisse. Cæterum eo tempore quo ars floralis maxime progressa est, vasorum ora late patere necesse fuit, ut lex ea observari posset, juxta quam, ut caules viventes e terrâ, sic recisi caules ex aquâ vivido quodam impetu assurgere videri debent. Hinc plerisque vasis japonicis exiguus pes, quo sæpe rupes, rami, fructus vel mythica animalia repræsentantur, et hiantes fauces quæ, si audire volumus traditiones, ad formam quorum-

(1) Hujusmodi vasorum varietatum deformationes fere in omnibus de arte florali conscriptis libris invenire est.

(2) *Kabin*.

(3) *Hanaike*.

dam buddhisticorum characterum (1) figuratæ fuerunt (et eâ narratione confirmatur artem floralem e cultu buddhistico ortam esse), nostro autem judicio, vel largo calici, vel capedoni, vel supinæ tubæ magis similes esse videntur. Nec equidem desunt gracilia, olivæ modo rotunda, ansata vasa, propioraque iis quæ magis Europæis arrident, nunquam autem nisi ad simplicem humilem compositionem adhibentur. Cæterum os vasis quocumque aspectu sit, relatio vasis ad opus florale quoad utriusque proceritatem eâdem semper ratione computanda est (2) : opus florale sescuplex quam vas juxta communiorem usum, vel etiam duplex, juxta quosdam, esse debet (3).

Hæc normalis proportio juxta rationem omnino elementiciam præfinita est : ut autem intelligi possint regulæ laboriosius excogitatæ, prius cognoscendæ sunt formæ quibus vasa instrui possunt. Triplicis generis sunt, nempe vasa in planâ superficie, ut repositorio, ponenda, vasa ad superficiem verticalem, utputa ad columnam, applicanda et vasa e lacunari suspendenda. Primi generis vasa rursus dividuntur in duas species prout terrenis aut aquaticis plantis recipiendis destinantur. Jam inde antiquitùs ad aquaticas plantas adhibere solent Japonenses vas in

(1) A Japonensibus *bondji* vocantur. — Sæpe adhiberi solet littera « magnum » significans.

(2) Excipiuntur nonnulli speciales casus, utputa cœtus ad religionem pertinentes, in quibus exiguo in vase poni solet florale flabellum in speciem pavoninæ caudæ figuratum. Istiusmodi autem exceptiones ipsæ a magistris communiter rejiciuntur. (XIV, vol. I, cap. 1, p. 33.)

(3) Vide XIV, vol. I, cap. 1, p. 33, et vol. II, cap. 10, p. 26, in quibus relatio vasis ad floralem compositionem a corpore humano determinatur. (Vas hominis proceritatem a pedibus ad genua refert, floralis compositio a genibus ad verticem.)

modum alvei (1) figuratum, quod duplicis etiam generis est : unum orthogonium vel polygonium ex porcellanâ vel ære confectum, quod vas « arenarium » (2) vocatur, quum aqua super arenulam in imo substratam infunditur ; alterum in orbem circumactum fereque semper ex ligno pulchre nigrescenti confectum : illius origo ab eis quæ de Sen-no-Rikiou tradita sunt, repetenda est et ob hanc causam « equarius alveus » (3) nuncupatur. Utriusque generis alveus semper adhibetur ad plantas quæ vel in aquis vel circa ripas fluviorum nascuntur, præsertim æstatis tempore, quum aquæ aspectus mentem recreat. Hujusmodi autem vasi hoc præcipuum est inter cætera quod non illius altitudinis sed latitudinis ratione supputatur relatio vasis ad opus florale quoad utriusque proceritatem. Notari debet aliud vas in modum orthogoniæ altæque capsæ figuratum, « puteusque » (4) nuncupatum, utpote quod ligneas formas japonicis puteis circumdatas imitantur. Vasorum autem ad terrenas plantas reservatorum species diversæ et multiformes sunt : inter illas eminet celebris illa floralis corbis, quâ meritò nihil popularius est, tempore Yoshimassa ab opifice Hekoji ex Sina invecta, cujus forma a longe græcam originem redolere videtur. Nam inter istiusmodi et cætera a Sinensibus inventa nulla similitudo est : e contra curvatâ suâ specie, formam antiquis Hellenibus familiarem credibiliter imitatur. Quidquid sit de illius origine, operæ pretium esse duco notare, Batavorum opere (5),

(1) *Ousou-bata.*
(2) *Sna-batchi.*
(3) *Ba-daraï.*
(4) *Igheta.*
(5) Batavi tunc temporis porcellanæ officinam in insulâ Hirado

septimo decimo sæculo, e Japoniâ in Europam invectæ floralis corbis formas in figulinis ex Delfi Batavorum figuratas fuisse. Nihil prorsus specie ornatius quam hæc corbis Hakodji (1), utero in modum amphoræ rotundo, floribusque redundanti, ansâ ovatâ procerissimâque in speciem superbi arcûs in altum assurgenti implicitâque pendentibus convolvulis. Posterius multimode variata est: videre est « corbem Reshodjo (2), filiæ Hakoji, unde huic corbi nomen inditum, rotundam, depressam, ansâ carentem et ingenti laternæ simillimam; « corbem piscariam » (3), in quâ Sen-no-Rikiou juxta ripam fluvii Katsoura, non longe a civitate Kiôtô, opus florale olim composuisse dicitur, et quam ex tunc illius admiratores reveriti sunt ut rem exemplarem; « corbem Sôsen » (4), quæ in modum metæ artificiose fastigata, inter omnes nobilitata est. Plurimæ et quasi numero infinitæ corbes sunt, quæ posterius in honore fuerunt, vel propter formam, utputa, « quadrata », vel « cubica » corbis, ansâ carens, vel « procera corbis » in rotundum assurgens, vel « cornuta corbis » quæ utroque cornu apprehenditur, vel « corbis dimidiate texta », quæ, ut maxime japonicis artificibus collibet (5), a superiori parte infecta esse videtur, vel

vulgo dictâ constituerant: ab hujus officinæ curatore ipso, Wagenar nomine, *hana-Kagho* forma in Europam introducta fuit.

(1) *Hakodji-ghata no Kagho.*

(2) *Reshôdjô-ghata no Kagho.*

(3) *Aïou-Kagho*; nuncupatur etiam « corbis Katsoura », *Katsoura-no aïou-Kagho.*

(4) *Sôcen-Kagho.*

(5) Ea fictio connectitur cum ratione quâdam philosophicâ, apud antiquos etiam græcos vulgata. In cujus rei argumentum notanda est « columna a malo præservativa » (*ma-yoke-no-hashira*), quam videre est in Nikkô, inter sculpta ornamenta unius e portis templi Iyeyas de-

« pluviale pallium », semi-rotundum, cui superpositum est parvulum tectum, haud dissimile paleari pallio, quo rustici fœdo imbribus die teguntur, vel corbis figurata in speciem corbis quâ utuntur rustici ad xili floccos carpendos, vel corbis quâ piscarii utuntur et corbis in quam piscatores escas indere solent. Alia sunt insuper vasa quæ Yoshimassa ipse celebranda sibi desumpsisse videtur, vasa scilicet bambusea. Ab initio vas bambuseum non erat nisi magnus bambusæ tubus excisus cujus nodus pro fundo erat : quia vero hoc lignum sculptu facillimum est, non poterat esse quin Japonenses suum ingenium ad id mox attenderent. Mox igitur multis artificibus et imprimis quibusdam celeberrimis thæi solemnitatis magistris faventibus, ora et rostra mire facta et specie diversissima, alia super alia per vasis latera aperta sunt : hinc major facta est compositiones florales distinguendi facultas, ita ut hodie sua cuique vasi propria compositio assignanda est. Sic quidquid vividum et ingeniosum in Japoniâ est, quotidiana scilicet ustensilia, animalia, homines, dii, traditiones, in hâc tantâ varietate formarum quæ ex unâ bambusâ affabre passim incisâ producitur, reviviscere et quasi evocari videntur. Ex istis innumeris bambusis, quædam nudæ, quædam punctis minute pertusæ, quædam multifariam incisæ sunt : videre est complanatos, productos, sin-

dicati. Hæc porta, tertia per quam transeundum est antequam ad sanctuarium perveniatur, columnis colore dealbatis sustentatur, quibus insculptæ sunt formæ geometricâ regularitate delineatæ ; quas si proxime intuearis advertes formas uni e columnis insculptas, ex adverso ad cæteras esse positas, ita ut columna inverso ordine statuta esse videatur. Id non errore commissum est, sed ex industriâ architecti timentis ne opus suum nimio plus accuratum diis invidiam moveret, et sic in Tokougaoua gentem calamitatem a superis provocaret.

gulares vel crebros, uno tantum vel pluribus nodis distinctos caules ; foramina sunt vel rotunda, vel ovata, vel orthogonia, vel triangula, vel lunata : figurantur bambusæ in modum alvei, situlæ, laternæ, tripodis, mortarii, pili, apothecæ, sartaginis, ollæ, caveæ, tibiæ (1), campanæ, plani rami : cernere est scalas, tectum, tegulam recurvam, ligneum pontem, turriculam castelli, facem, sinensem portam, fenestram lupanaris, guttur columbæ, collum gruis, dentata ora squali, raiam, simiam quiescentem, simiam scandentem, foramen petræ quo silvestres asseres commeant ; Kaouatarô, lacuum mythicam, simiam, calvariam acutam dii Foukourokoudjou (2) et tandem Bouddha sedentem et gloriâ circumfusum. Quantum laboris requiritur! quam docta manus quæ tot et tam diversas res exprimere valet ! Nec tamen ad id sculpturæ viæ adhibentur : nonnullæ perite et affabre factæ incæsuræ abunde sunt. Si omnibus supra dictis vasis annumeraveris « vas vivens », ex bambusâ, juxta unam ex præfatis rationibus, confectum, bambusâ sua folia retinente ut vivere perseveret, quanta sit Japonensium ingenii fecunditas facile intelligere poteris. Attamen vasorum in planâ superficie locandorum facile principatum obtinet « currus floralis » (3), quem aulæorum pictorum egregiæ formæ etiam in Europâ illustrave-

(1) *Rikhan-ghata.* — Hæc spectanda vasorum forma excogitata esse dicitur ab artifice tibias musicorum in quodam palatio conspiciente. Constituitur serie tuborum simul colligatorum, et quorum longitudo ex ordine gradatim juxta lineam obliquam decrescit, qualiter tibia Pan. Floribus in hoc vase positis aqua sæpe infunditur, nec quidquam est speciosius quam videre aquam guttatim a tibiis canoro strepitu cadentem. (Vide XIV, vol. II, cap. 7, p. 18.)

(2) Unus ex septem diis Felicitatis, qui præsertim longæ vitæ et sapientiæ figura est.

(3) Vel sacer currus : *mikoshi.* (Vid. XIV, vol. II, cap. 5, p. 29.)

runt. Facile intelligitur istius modi currus initium habuisse ex præsumptione imitandi currus, qui intra solemnia tum sacra tum profana circumducti, hinc inde nutantes manipulos florum magnificos sustentant. Hic currus floralis, communiter in sesquimetrum protentus, duabusque rotis circiter sesquipedalibus in demetientem impositus, fert ligneam situlam in altitudinem circiter sesquipedalem, ex quâ opus florale, lineis tum magnifice in altum directis, tum ample pendentibus, exsilit. Pulchre nigrescens, argenteis fasciis ornatus est, extremoque temone pendet sericus funis quo præteritarum festivitatum tumultûs et strepitûs memoria renovatur. Currum hunc in amplo recessu, quo libere lucere et splendescere possit, ponendum esse manifestum est.

Veniamus nunc ad vasa (1) quæ quodam paxillo ad verticalem superficiem, præsertim ad scapum tori affigenda sunt : hic denuo apparent, sed in aliam speciem figuratæ, corbes et bambusæ. Numeratur « corbis Arima », in pago Arima nuncupato, unde cognomen, non longe ab urbe Kôbe, confecta, « tauri cornu », « cicadæ corpus », «pueri calceolus», materculis gratissimus, « lagena », peregrinatoribus grata, « pera Daïkok », divitiarum largitoris, et imprimis venusta corbis in speciem papilionis figurata, ita molliter infixa ut nihil morari videatur quominus evolet. Similiter passim videre est inter vasa bambusea, præcedentibus depressiora, « duplici », « triplici », « quintuplici tabulato vasa », « leonis rictum », « os dehiscens», « petasum festivum », « pulvinum viatoris », « concham», « Darouma sedentem », præterque omnia maxime conspicuum « draconem contra aquæ dejectum natantem » in

(1) *Kake banaike.*

orbiculos gyrosque flexum, in cochleam retortum utque viventis impetu irrepentem. Sunt alia specie et materiâ diversa, præsertim ad thæi solemnitatem usurpata vasa quæ huic collectioni singularem et rusticum colorem afferunt. Hujusmodi est « ferrea olla », nido alto simillima, ex ferro crudo confecta, « fictile », ingenti spongiæ simile, « procera lagena » quæ in cujusdam mendicantis monachi lagenâ a Sen-no-Rikiou ex tempore compositi operis floralis memoriam refert. Nec raro etiam judicio et arte limatissimo cuique corbis vetus aut trunci vetustate marcidi fragmen manu excavatum magis arridet. Istiusmodi vasa non directò ad parietem, cui ornamento sunt, sed ad axiculum parieti affixum plerumque paxillo affiguntur. Axiculus (1) iste, in longum porrecti parallelogrammi in speciem figuratus, trium pedum longitudinem excedens, vixque semipedalis in latitudinem, conficitur vel informi vel lævi, vel etiam, juxta morem a Yoshimassa introductum, pulchre nigrescenti materiâ, ornaturque quibusdam versibus aureis litteris exaratis, qui præcipitis floribus subjecti memoriam in mente evocare solent.

Quoad vasa (2) quæ, plerumque ex ære facta, e lacunari aut e supercilio tori fune vel catenâ appenduntur, varietatibus etiam numerosa sunt. Ut præcedentia sic etiam hujusmodi vasa tempore Yoshimassa inventa fuisse, et juxta quosdam, a Yoshimassa ipso excogitata fuisse dicuntur (3). Etenim quâdam die quum pueros naviculis florum plenis ludentes intueretur, præter omnes vasorum pensilium frequentissimam formam, navis scilicet pensilis

(1) *Souika.*
(2) *Tsouri banaike.*
(3 Vide XIV, vol. II, cap. 8, p. 12.

formam excogitasse refertur. Juxta autem alios, die æstatis calidissimo, illius familiaris, Sôami nomine, quum juxta eum in æreo vase, quod casu simile quidquam habebat navis, opus florale componeret, eâ re permotus, ejusdem generis plurima vasa excogitasse dicitur : istius modi vasa ex Yoshimassa decem navigiorum nominibus nuncupata sunt, nempe Draco, Draconis caput, Phœnix, Phœnicis caput, Lotus, Fluctus tumens, Nubes, Sinensis, Urinator, Algarum collector ; in his naviculis easdem effigies et ornamenta effingi jussit quibus navium latera proraque decorabantur, et caules eâ ratione disposuit ut navis euntis speciem referrent. Quæcumque fuerit hujus moris prima institutio, magni momenti est, et hæc ultima Sôami conceptio ut vere ingeniosa habenda est. Etenim vasa illa pensilia, me judice, maxime notanda sunt, non solum propter formas poeticas, quibus insigniri possunt, sed propter vim expressivam quâ hæc vasa potissimum pollent. His enim vasis, si suspendantur, aspectus pulchritudine et varietate multiplex esse potest. His certe effingi possunt ad oculos res perite electæ et apte vacuo ordinatæ, ut venusta corbis insolitâ specie, ærea campana, floris corollæ instar oris undatis, japonica umbella inversa et mambriolo eleganti appensa, sed etiam, ac præsertim ob hanc ipsam in aere meabili suspensionem, cujus gratiâ decora sunt, speciosissima quæque, vivida, illecebrosa eisdem vasis adumbrari possunt, ob mobilitatem quâ mens spectatoris fingit ea animari : utputa argentea cornua lunæ per vacuum errantis (1), conchylium innatans aquis, fluvialis ratis ad speciem parvæ insulæ floralis fluctuans (2),

(1) *Tski-ghata*, vel *Ghekko-ghata*.

(2) *Ikada-ghata*. — Sekishiou, quum magnificum amnem Yoshino,

vel cujuslibet generis naves (1), tum « adunca navicula » civitatis Oôsaka fossarum aquis labens, tum « lacuum navigium » tectum vel tecto nudatum, et in modum calcei figuratum, tum « amica navigia », unà littora maris præternavigantia, tum magnæ naves quæ in altum produci possunt. Ea vero omnia, quam parvi sunt, accedente animâ quâ res istæ inertes vivere incipient, quum artifex juxta lineas scite ductas flores idoneos in eis adornaverit. Antequam autem de convenientiâ vasis cum opere florali loquor, operæ pretium esse mihi videtur pauca dicere de alio vasorum genere, medio inter primum et tertium genus, ad tertium tamen propius accedente : scilicet « putei situlas (2) » dico. Hujusmodi vas constat duabus situlis ligneis vel porcellaneis, quandoque tereti communius autem quadratâ formâ, fune crasso e trochleâ appensis : una e situlis in summo manet, altera autem vel tabulato vel ligneis formis puteal imitantibus incumbit. Sen-no-Rikiou convolvulos vetusti putei derelicti situlas circumjectos admirans, hanc vasorum formam excogitasse dicitur. Posteri autem multa nova in hujusmodi vasa conficiendi ratione attulerunt : exinde cernere est varias multiformesque species, plus minusve ingeniose excogitatas, a situlis agresti specie, ex materiâ informi aut etiam a teredinibus excesâ confectis, quæ ex industriâ rudi fune aut ferreâ catenâ suspenduntur, ad situlas pulchre nigrescentes, quæ serico fune purpureo vel catenâ ex puro argento factâ appenduntur.

præter omnes ob « mille cerasos » inclytum (in provincia Yamato), intueretur, hanc pulcherrimam compositionem floralium varietatem excogitasse traditur. (Vide XXXIII, p. 144.)

(1) *Tsouri-foune.*

(2) *Tsouroube.*

Ex illis quæ de præcipuis vasorum formis diximus, quum unumquodque vas non sine artis ratione confectum est et unicuique generi sui cujusque ingenii proprietas est, quodque genus tum operis floralis tum vasis apte et scite inter se convenire debere facile colligi potest. Ad id, imprimis, rejecto quoque vase, licet pretioso et raro, ad alios usus confecto, opus florale in vase ad flores recipiendos accommodato ponatur necesse est. Sane equidem assumuntur res communes, humilibus ministeriis servientes, utputa alveus equarius, putei situlæ. Id autem insolenter fit, innititur quâdam traditione, artificibus sacrosanctâ, potiusque regulam generalem confirmat. Ex istâ necessariâ convenientiâ vasis cum opere florali multa peculiariaque derivantur quæ nunc, servato ordine quoad vasa in genera dividenda usi sumus, examinanda supersunt. A vasis repositorio imponendis et primo a vase ad aquaticam plantam recipiendam destinato capiamus exordium. Si agitur de arenario vase, adhibendæ sunt vel plures arbores nonnullis intermixtis plantis, vel tantum plantæ fortes et densæ : inter arbores intererit vallis, cujus latitudo operis floralis altitudinis decimam partem habebit, itemque inter plantas « piscibus via (1) » relinquetur : insuper, ad vitandam partium alternatam paritatem, compositionis floralis media pars versus alterutrum latus vasis dirigenda est.

Quoad alveum equarium, eædem servandæ sunt regulæ, præterquam quod loco arborum una aut duæ tantum plantarum species sunt adhibendæ. Quid autem de vasis ad terrenas plantas excipiendas destinatis? Quod attinet ad corbes ansatas, ea lex est ut totum opus florale intra formam contineatur quin eam superet, exceptis quibus-

(1) *Ghio-dô.*

dam compositionibus magni laboris, in quibus quidam flores extra formam, in latera quidem, nunquam autem supra centrum, produci possunt. Corbes vero ansâ orbatæ communiter in vasorum affixorum numerum cadunt. Ex bambuseis vasis, illud tantum duobus oribus gradatim dispositis vas referam, quod non rarum est : superius os arborem, inferius autem plantam recipere debet, præter si specie varium multiplicemque prospectum referre velis (1) : tunc superius florale opus, maxime pendentibus lineis conspicuum ad normam transversi trianguli, inferius vero ad verticalis trianguli normam disponendum est. Floralis vero currus, contra quam communiter præscribitur, magnificus et lautus erit : autumni septem floribus (2) nonnullisque hujus temporis herbis componendus est, ut novem vel undecim plantarum speciebus florescens, nomen « plumarii operis » quo a magistris vocatur, merere possit.

Veniamus nunc ad vasa ad columnam affigenda. Quum opus florale plantam ex alta rupe pendentem animo recogitandam offerre debet, ad normam trianguli transversi communiterque præcipitibus lineis componendum est : quod si in uno latere corbis vel bambusæ apertura sit, cavendum est ne lineæ florales illius oras intercidant. Plantarum vero species adhibendæ formâ et naturâ vasorum determinantur, juxta regulas varietate multiplices, quas referre longum esset. Postremo quoad vasa pensilia, ut omittam quæ ad rem minus pertinere videntur, referam

(1) Vide p. 93.

(2) *Aki-nana-Ksa.* — Id est : *Haghi* (Lespedeza Buergeri), *Asaghao* (Pharbitis triloba), *Szouki* (Eularia japonica), *Otoko-meshi* (Valeriana villosa), *Omina-meshi* (Valeriana officinalis), *Koudsou* (Pueraria thumbergiana) et *Karou-Kaya* (Anthistiria arguens).

tantum puteales situlas disponendi rationem, utpote quæ artis floralis naturam belle insignit. Superioris situlæ compositio floralis arborem, inferioris compositio plantam geret, eâ tamen lege ut neutra funis lineam intercidat. Aqua in inferiori situlâ sit visibilis, in superiori autem invisibilis ita ut ea vacua existimetur : secus enim cur sursum stet non intelligetur. Si situlæ quadratæ sint, nunquam flores ab angulis initium sumant, funisque semper aquâ respersus sit, perinde ac si rorulentus esset : denique verno tempore superius opus florale, æstate autem inferius magnificentius sit ; autumno vero utrumque simplici atque tenui specie sit.

Nihil autem nobis antiquius est quam ut veniamus ad pensiles naves, ad quas, ob illarum insignem linearum structuram meritò animum intendere debemus. Inprimis notandum est in tantum altitudinis subducendas esse, ut aqua quæ inest in eis, cerni non possit : secus enim jam ferme deprimi viderentur ; porrò si destituti navigii speciem repræsentare velis, adhibenda est alia via, imponendumque est navigium repositorio inter trabes, altius tamen quam ut a sedentibus spectatoribus rectâ lineâ adspici possit : sic sincerâ veritatis imitatione efficientur, non ineptâ artis defectione. His positis, veniamus ad varios navium habitus qui triplicis generis sunt : « navis ex alto in portum decurrens (1) », quæ in usu est quum hospites excipiuntur ; « navis cursum parans (2) », quum discessus paratur ; « navis appulsa (3) », quæ in usu esse solet quum aliquamdiu amici hospitio excipiuntur. Diversi

(1) *Iri-foune.*
(2) *De-foune.*
(3) *Tomari-boune.*

multiformesque dantur alii navium habitus, e quibus sunt « navis littus præternavigans (1) », « navis rapido cursu abrepta (2) », « navis stans (3) », « navis in altum producta (4) », « navis in portum penetrans (5) ». Diversi navium habitus clare indicantur, tum certâ proræ inclinatione, tum præsertim floralium linearum inflexione; nec omittenda est vel demissio catenarum quibus suspenditur navis vel distantia quâ navis ad intimum tori angulum amovetur, et cætera generis ejusdem. Ad hunc finem accommodati floralis operis primaria vices habet singularis mali veliferi japonicæ navis, secundariæ vero lineæ alia vela et armamenta repræsentant. Ex istis secundariis lineis una semper fluens est et ad memoriam revocat perlongum ramum inflexum ex obliquo pendentem, et ad hujusmodi navis puppim exigue pronum: consequenter reliquæ aliæ lineæ semper validiores et plus minusve ad perpendiculum directæ, fluens autem linea, utpote quæ demissa est in aquam, parum firma et cedens sit.

His positis, facile intelligi potest quomodo ab artifice opus florale disponendum sit ut pro temporis ratione spectatores afficiantur. Si navem in portum penetrantem effingere voluerit artifex, vertet proram ad lævam cubiculi partem, in quâ sedebit hospes, utpote quæ Japonensibus antiquior sit: primaria et quod ei accedit ambitiosâ curvaturâ in altum assurget, fluens autem linea ad dextram depressior pendet; quo nihil specie ornatius suaviusque excogitari potest, gratiâ amici, plenâ ventis navi,

(1) *Oki-Youkou-foune.*
(2) *Hashiri-boune.*
(3) *Hason-boune.*
(4) *Kasoumi-boune.*
(5) *Minato-ire-foune.*

peregre redeuntis, vel puellæ aut juvenis in familiam matrimonio adducti. Navem vero cursum parantem inversâ ratione disponendam esse manifestum est. Quod si navem appulsam effingere volueris, ad lævam ut in primo casu vertenda est prora, primaria autem et ea quæ ei accedunt rectiora et depressiora erunt ita ut silentibus ventis navis nihil moveri videatur; fluens vero linea ad navis dextrum latus exigue prona pendet. Ad repræsentandos navis reliquos habitus, ejusdem modi et magis atque magis ingeniosa ratio adhibetur : utputa si navem vento secundo cursu rapido abreptam repræsentare velis, omnes lineæ intentæ et rigentes sint recidaturque fluens linea; si autem navem decrescere incipientem effingere velis, opus florale exiguis catenis alte a terrâ suspendatur ita ut quasdam tantum graciles, fere confusas lineas exhibeat.

Quod artem in genere attinet ac præcipue in linearum dispositione versatur, quasdam regulas e potioribus signavimus, juxta quas proportio seu relatio inter flores et vasa determinatur. Multa tamen alia addenda sunt ut res absolvatur. Sic multæ reperiuntur plantæ, quarum suum cuique vas assignandum est. Etenim ut aquaticæ plantæ late patentia labra deposcunt, ita narcissus, nisi in proceri colli vase angusto, splendere nequit : ut modice ab humo exstantes largis foliis plantæ alveo lætantur, ita wistariæ, lespedezæ et kerriæ (1) tenues et graciles, in vase suspenso poni desiderant; pæoniæ vero sinicam corbem deposcunt, tam ob earum graves flores quam ob regionem e quâ invectæ fuerunt (2). His quoque illud accedit quod

(1) *Yama-bouki* (Kerria japonica).

(2) Nonnullæ ex istis specialibus compositionibus fundantur levioribus momentis, utputa litterarum mutatione, quâ Japonenses valde delectari solent : sic quum vox japonica *tessen* (*Clematitem patentem*

non raro habenda est etiam ratio temporis, quæ non parvam facessit difficultatem. Hortantur magistri ut ad verna floralia opera recipienda adhibeantur bambusea aut ærea angusto collo vasa, ad æstiva opera floralia corbes aut alvei ærei vel lignei patenti ore, ad autumnalia naves au vasa porcellanea, ad hiberna vero opera floralia angusta vasa in modum lagenæ figurata : nonnulli etiam reperiuntur qui diei ipsius horarum rationem habendam esse putant ; juxta illos, quod attinet ad pensiles naves, navis portum intrans postmeridiano, navis cursum parans matutino, navis autem appulsa vesperi tantum apta esse dicenda est. Omnes istiusmodi regulæ, prima quidem specie arbitrariæ esse, re autem ab exquisito cultu acutissimâque arte efflorescere videntur.

Pauca supersunt dicenda de ultimo quodam addito quo completur ac perficitur vasis ac floralis compositionis convenientia, scilicet de fulcris (1), quibus inferior pars caulium sustinenda est. Ab initio firmandis dirigendisque floralibus lineis tantum destinata fuerunt ; quæ quidem res a proposito nostro prorsus aliena est. Paulatim vero artifices, qui primo pro fulcris satis habuêre uti parvis fragmentis ligneis aut bambuseis (2) vel metallicis tubis absconditis, in animum induxerunt ut in vasis mediocriter altis, ingeniose mireque confecta quædam ponerent,

significans), in duas voces *tets-sen* resolvi potest (vox *tets* idem valet ac *ferrum*), sæpe ad hanc plantam excipiendam adhibetur ferreum vas ; sic etiam quum prolatio vocis japonicæ *fouji* (*Wistariam* significantis), simile quidquam habet soni vocis *fourin* (significantis ornamenta in speciem campanæ figurata et extremo templorum tecto suspensa), sæpe hæc planta in æreâ campanâ inverso ordine suspensâ ponitur. (Cf. p. 162, notam 1, in fine.)

(1) *Kbari.*

(2) *Toghi-no-Kbari.*

quibus vel ut fulcris, vel specie simulati fulcri, ut fulcrorum tegminibus uterentur. Inde ingeniose excogitatæ sunt fulcrorum formæ, e quibus nascuntur inter vas et flores relationes estheticæ sine numero. Sic ad equarium alveum semper equarium frenum (1) adhibetur, præter si opus florale in domo locupletissimâ ponendum sit. Multa autem alia sunt fulcra quæ quasi ad arbitrium in plures usus usurpari possunt : utputa pugio, forfices, catena in modum collecta, duplex spira : quædam ad quamdam plantarum speciem pertinent, utputa ad aquaticas plantas duæ carpæ in aquâ gestientes ; ad terrenas plantas lepus ; ad utriusque generis plantas carabus, testudo, rana, vel par anatum, et imprimis draco prosiliens. Hæc minuta ærea opuscula præsertim aptâ pulchrâque oppositione cum florali compositione convenire debent. Sit exempli gratiâ carabus vel etiam caraborum par (2) opus florale ex iridibus confectum fulciens : si opus altum firmumque sit, consueta depressiorique specie carabus sit : sin aliter, elato sit corpore, quasi caules reptando ascendere tentaret, ita ut eos premere, nedum fulcire, videatur. Si caraborum par sit, mas superbo corporis habitu, femina autem humiliori sit. Operæ etiam pretium est notare ancoram, quæ ad naves pensiles adhiberi potest : eâ autem nunquam uti licet ad navem appulsam, quia nullo modo cerni potest. Denique videre est agrestissimum fulcrum, scilicet ramum furcosum (3) ex transverso in aquâ positum. Non alienum erit pauca dicere de iis quæ in ornamentum operis floralis accidunt, ut sunt, exempli gratiâ, rupes formâ et colore di-

(1) *Koutsoua dome.*
(2) *Kami dome.*
(3) *Mits-mata-no-Kbari.*

versæ quæ ad aquaticas plantas adjiciuntur : ad eas recte disponendas, servanda est trium principiorum regula, ita ut prima rupes ad perpendiculum directa, secunda ferme transversa, tertia autem media inter primam et secundam inclinata sit, passimque interjiciuntur minuta saxa quæ differentiam pulchrâ oppositione obtegunt. Item nonnulla dicenda sunt de aquâ ipsâ cui etiam suæ sunt leges (1) : sic verno tempore, e decem vasis partibus novem implere debet, deinde ineunte æstate, pæne ad summum pervenire, postea caniculæ tempore, extra vas oleo madidum supereffluere videri, tempore autumnali ad eumdem gradum ac tempore verno reverti, ac tandem tempore hiemali ad octo vel etiam septem e decem partibus implere. Item in compositionibus ex aquaticis plantis, reliquiæ plantarum, si quæ forte fluctuent, ita disponuntur ut speciem referant aquæ jugis et profluentis, quibusdamque artibus obtinetur ut pars exterior vasis interioris partis humorem reddere videatur. Si quis velit cognoscere quanta sit Japonensibus aquæ vis et eloquentia, satis est considerare vas illud patens, aquâ plenum, omni opere florali vacuum, quod autumnali tempore in cubiculo poni solet, quam plures familiares unà vespere congressi, tacite lunam contemplantur (2) : in toro stat vas in quo, velut in stagno, deæ radii relucent, argenteâque in aquâ quædam aceris rubentis folia tantum apparent, quibus constat totum opus artificis.

Nunc dicendum est quâ ratione ad invicem referri et convenire debeant flores et tabula cum quâ communiter adversum accommodatur opus florale. In hoc maximum mo-

(1) Vide XIV, vol. I, cap. 2.
(2) *Tski-mi.*

mentum est, quum inde facile colligi potest quali ratione juxta Japonenses diversæ artis ipsius species ad invicem convenire debeant. Fingamus nobis in prospectu esse torum, qui Japonensibus honore princeps locus est. Ad intimum torum, ex adverso pendet tabula (1) : præ illâ et paulo inferius stat vas florali artificis superbum, nec raro tabulæ et compositiones florales numero plures sunt. Quânam ratione hæc eximiæ artis opera inter se concinere poterunt ! Omnibus enim patet opus florale ita disponendum esse ut picturam nec tegere, nec quidquam illius pulchritudini officere possit ; a Japonensibus autem elegantiâ judicioque præter cæteros insignibus opus florale et pictura tanquam unius ejusdemque operis partes reputantur, quarum utraque alterius freta auxilio ad oculorum voluptatem plurimum valet.

Ea Japonensium mens primo apparet e regulis quibus determinantur numerus et dimensio tabularum relative ad locum et dispositionem florum (2). Si una tantum pictura sit, vas floribus ornatum generaliter ad lævam potius quam contra picturam ponendum est ; si duæ sint, adversus intervallum inter utramque interjectum ; si tres sint, duo vasa contra duo intervalla; si quatuor, quod equidem raro fit, vel tria vasa adversus tria intervalla opponenda sunt, vel in medii vasis locum, inter duo alia vasa batillus (3) aut sigillum (4) suffici potest. Nec raro Japonensibus collibet vel unam tantum tabulam ad parietem suspendere, mediam inter duo vasa floribus ornata tabulatoque super-

(1) *Kaké-mono.*
(2) Vid. XXXIII, p. 43.
(3) *Kôro.*
(4) *Oki-mono.*

posita, vel etiam inter duas picturas unum vas tantum ponere. Nunc igitur fingamus unam tantum tabulam contra unum vas : si hæc tabula,ut plerumque fieri solet, procera et angusta sit, opus florale eâdem ratione depressum sit ; si vero, quod raro accidit, lata et exigua sit, opus florale erigatur et latius extendatur, quin tamen tabulam tegat. Idem efficitur pusillum de medio vas removendo, ita ut opus florale liberius sit. Nec tamen semper fieri potest, ne opus florale in tabulam incurrat : tunc quosdam flores intercedere fas est ; interdictum tamen ne vel artificis subscriptionis et sigilli locus, vel media pars, vel oræ, vel lacinia quâ ornatur pars inferior tabulæ tegantur. Curandum est etiam ut appareant tum imagines, si quæ in tabulâ pictæ sint, tum versiculi et sententiæ, si quæ sint in eâ inscripta.

Concentus autem tum numerorum, tum dimensionum vasis et tabulæ nihil aliud est quam initium quasi materiale totius operis convenientiæ. Hujus convenientiæ pulchritudo potissime oritur ex intimâ relatione, quâ tabula et flores inter se quoad res et sensum convenire debent. Ea autem ad invicem plus minusve, perfectius imperfectiusve congruunt, quandoque indeterminate, quandoque vero precise, ita ut flores ab aliquo perito dispositi, tabulam quasi prolatare, et unam cum illâ picturam mire efficere videantur. Itaque postquam flores marcuerint, tabula sine illis quasi incompleta ac nudata conspicietur. Quidquid sit, inter tabulam et opus florale quædam vel convenientiæ vel repugnantiæ relatio sit necesse est. Ea vero convenientiæ vel repugnantiæ relatio in plantarum atque arborum distinctione observanda est, hic autem non solum in florum dispositione, sed in toto opere quod floribus simul et tabulâ componitur : sic si in tabulâ arbores

pictæ sint, ad opus florale assumendæ sunt plantæ, et vice versâ. Eadem ratio servanda est inter varias plantarum species : sic, si in tabulâ fluvialis ripa figurata sit, ad opus florale adhibendæ sunt aquaticæ plantæ quæ sponte suâ in loco depicto gignuntur : denique observanda est etiam hæc relatio in concentu colorum qui ita ad invicem convenire debent ut opus quasi unum ex tabulâ et florali compositione fieri videatur. Præcipuum autem hoc japonicarum regularum est quod interdictum ne ad opus florale quæque planta jam in tabulâ depicta assumatur (1). Sic verbi gratiâ si florentes cerasi pictæ sint, ad compositionem floralem alii quidem verni flores, nunquam vero cerasi flores adhibendi sunt. Quorsus hæc interdictio ? Quia, certamine inter pictorem et floralis operis compositorem inito, pictorem nequaquam parem esse posse, et picturam æmuli compositione necessario obscurandam esse putant. Eâ ratione non moverentur Europæi, quum fasciculi nostri e floribus mutilatis, et naturalem pulchritudinem amiserint, et ad pulchritudinem artificialis operis non accedant. Sed in Japoniâ, ubi opera floralia, simul ac vividam naturæ gratiam retinent, artificio pictoris peritiam facile adæquant, sive ad linearum ac colorum dispositionem, sive ad vim affectuum significativam attendatur, quomodo in chartâ vel serico mortua plantarum repræsentatio vividam hanc exhibitionem posset æmulari ? Cujus inæqualitatis causâ, in quibusdam casibus, ut inter flores et picturam proportio servetur, debet florum compositor aliquid minus comptum, ac veluti negligenter conficere, ne pictorem minus peritum facili victoriâ superet : imo etiam conciliationis causâ, in vase aquâ pleno ponuntur tantum aliquot

(1) XXXIII, p. 45.

corollæ floris, cujus species in picturâ prævalet, ita ut mens eadem appareat in utroque, quin pictor ultra modum imperitiæ arguatur. Eâ industriâ probatur, non sine causâ apud Japonenses artem floralem tanti æstimari, ut etiam cum picturâ et aliis artibus comparetur.

Eadem relatio etiam conspicitur in oppositione artis floralis cum poesi : quæ oppositio locum habet quum intima pars tori, ut plerumque contingit, non tabulâ sed explicato sinico chirographo decoratur. Textus, cujus characteres semper cujusdam celeberrimi pictoris aut poetæ lepidâ manu exarati sunt, plerumque philosophicam aut poeticam sententiam ad rerum naturam vel potius ad prospectum loci quo suspenditur, vel ad anni tempus quo scriptus est, pertinentem exprimit. Tunc ea lex est ut opus florale simplex ac modestum sit : nec raro hortantur magistri, præsertim si scriptum magni ingenii opus sit, ut nullus admittatur floralis compositio, ne forte sua versibus digna laus non tribuatur. Quidquid sit, si opus florale conficiendum sit, juxta quosdam, assumi possunt flores ipsi quos carmen celebrat : qui autem austerioris sunt ingenii, aliter censent, eamdemque regulam generalem ac pro tabulis observandam esse præcipiunt (1). Ita est quoniam, quum hoc parvum poema, quibusdam tantum versibus de florum laudibus adstricte scriptis, modice segniterque oculos et mentem afficit, flores naturali et vividâ pulchritudine pollentes contra carmen appositi, necessario quidquam illius pulchritudinem minuerent. Equidem in hujusmodi casu, jam non timendi locus est ne florum compositoris ars, ut antea pictoris arti offecisset, sic etiam poetæ arti officiat, quum utraque ars tum ratione finis tum ratione

(1) Vide XXXIII, p. 45.

viæ ab invicem differt. Sed præcipue ob eam ipsam causam quod altera ad mentem spectat, altera circa res versatur, flores visibiles a sententiâ invisibili animum averterent, linearum et formarum illecebræ impedirent cogitationem inchoatam, spectator concretæ pulchritudinis contemplatione captus, poetam oblitus, illum sequi omitteret ad regiones longinquas, quò is illum abripere præsumit (1).

(1) Multa et præclara de relatione poesis cum floralibus compositionibus in Japoniâ narrari possent. Ut floralia opera poetis, sic etiam florum compositoribus argumentum sæpe poemata præbuerunt. — Sic juxta antiquum japonicum poema, agrestium feminarum manus semper odoratæ esse dicuntur, utpote quæ fluentem ex horto suavibus prunorum floribus redolenti aquam haurire solent. Juxta hoc argumentum, artifex Yôshaan in magno quadrato labro aquâ pleno opus florale ex pruno conficit, uno angulosis lineis ramo partim aquæ immerso, et sic totius poematis sententiam floralis compositionis unâ tantum lineâ exprimit. (Vid. III, p 5.) — Parvum carmen Shiounze, duodecimi sæculi partis posterioris celeberrimi poetæ, significat per rura floribus distincta iter facientem viatorem nimis sæpe descendere ex equo, ut illum adaquet : en denuo descendit juxta ripam amnis Ide-no-Tamaghaoua, pulchre fulgentium Kerriarum decore conspicui ; utrum jumentum adaquandi an flores superbos inspiciendi causâ ? Hâc super re, magister Bôdjinn, longo manubrio curvato vas, quo antiqui Japonenses ad equos adaquandos uti solebant, ad cubiculi lacunar suspendit, hinc et illinc assurgentibus et fluentibus pulchris Kerriarum caulibus. (Vid. III, p. 5.) — Aliud referri potest exemplum recens, poeticâ ratione simul et ambiguâ verbis alligatâ significatione notandum. Parvum carmen, Hideyoshi exercitûs in Coream proficiscentis gratiâ scriptum, in bellum euntes milites mox victores redituros esse prænuntiabat. Ririousai Segamarou, præsentis ætatis artifex, quum ad amicum jam in Coream profecturum visendi gratiâ venisset, rogatus ut quamdam pro tempore floralem compositionem conficeret, in pensili nave, ad navigii iter parantis speciem, opus florale mire composuit, quod apte conveniebat cum tabulâ tori, in quâ convivium, in nave celebratum, erat pictum et insuper ad compositionem adhibitæ plantæ citri scilicet electione, insigne erat. Etenim carminis tres versus citrum in mente recogitandam bis offerunt, voce scilicet *Karatatchi citrum* simul et *discessum in Coream*, et voce *Kikokou*, tum *citri fructum*,

His præcipuis principiis, quæ modo exposuimus, accedunt quædam peculiares regulæ quæ magis traditione quam estheticâ ratione continentur. Sic nonnunquam ratio, quâ opus florale cum tabulâ convenire debet, nititur tantum in iis quæ referuntur de quodam celeberrimo viro, prout hi vel illi flores præter omnes illi arridebant. Exempli gratiâ, ut poeta Tôemme (1) chrysanthema, poeta autem Rinnace (2) pruni flores maxime probabat, ante pictam imaginem Rinnace pruni flores, chrysanthema autem ante pictam imaginem Tôemme poni solent. Quandoque seliguntur flores qui, ex communi omnium consensu, quamdam habere videntur relationem ad hanc vel illam effigiem tabulâ depictam: sic ante effigiem Hôte, qui inter septem deos felicitatis annumeratur, ponuntur rami bambusæ, quippe quæ ab omnibus pro faustâ plantâ reputatur; præ vulgatæ notitiæ tabulis quæ sinenses infantes (3) repræsentant, colore ardentissimo florales collocantur. Inter autem hujusmodi relationes ea præcipue annumerari debet, quâ quædam plantæ et animalia quædam consociantur, utputa prunus et luscinia, cerasus vel wistaria et phasianus, persicus et bos, pæonia et pavo, iris et halcyon aut anas, juncus et anser, arundo et lepus, morus (4) et capra, bambusa et passeres aut tigris, lespedezæ et aper aut indomiti equi, chrysanthemum et gruis

tum *reditum in patriam* significanti : sic in hâc florali compositione cum loco et tempore apte convenienti litterarum et artis studiosus quisque apud omnes vulgati carminis duas præcipuas voces invenire poterat. (Vid. XXXIII, p. 45.)

(1) Sinicus poeta quinti sæculi æræ christianæ.

(2) Sinicus poeta undecimi sæculi.

(3) *Kara-Ko*.

(4) *Koua* (Morus alba.)

aut vulpes, rubescens acer et dama, vel, in fabularum dominio, pinus et draco, pæonia et sinicus leo, paulownia imperialis (1) et phœnix. Igitur si tabula unumquodque ex istis animalibus repræsentet, ad opus florale conveniens planta adhibenda est. Attamen si, in casibus supra allatis, flos de quo agitur jam in tabulâ pictus sit, servetur lex generalis, quâ eorumdem repetitio prohibetur, aliique flores ad opus florale assumantur.

Hujusmodi est relatio operis floralis ad tabulam : nunc demum quâ ratione convenire debeant opus florale et cubiculum, tractandum est. Torus tabulis vasisque decoratus tantum pars est hujus cubiculi; paries enim, in quo torus excisus est, in duas partes dividitur, quarum una torus, altera autem quasi repositoriorum locus est (2). In egregio cubiculo, torus amplus est et dimidiam partem parietis ad dextram tenet; illius contabulatio pulchre nigrescens, aliquantum a coaxatione cubiculi abest. Torus colummâ ex ligno pretioso vel tenui pariete, in quo aperta est fenestra, separatur a repositoriorum loco, qui ad lævam parietis alteram partem occupat. Hic recessus exornatur armariolis pictis, tympanis et repositoriis, quorum loculamenta haud paribus intervallis distantia, confuse quidem, apte tamen ad oculorum voluptatem disposita sunt. Reliquum cubiculum omni tabulâ, sellâ, vel omnibus rebus necessariis aut supervacuis, quas in domibus nostris congerimus, vacuum est. In cubiculo minori, torus ad lævam, repositoriorum autem locus ad dextram est. Denique fieri potest ut nullus sit locus repositoriorum; tunc torus a parte columnæ in cubiculum projectus

(1) *Kiri* (Paulownia imperialis).
(2) *Tchighai-dana* ; ad verbum : « Tabulata inæqualia. »

est. His positis, videamus nunc quo loco collocanda sint vasa floribus ornata. Tabula, quâ cubiculum ornatur, semper ad intimam partem parietis tori appenditur; nam iste locus est præter omnes conspicuus: hic tum paterfamilias singula artis eximiæ opera ingenioseque confecta ante oculos spectatoris proponere, tum dignissimus quisque ex hospitibus sedere solet.

Sed opus florale non semper supra tabulamentum ponitur, prout modo finximus ut quâ ratione flores et vas ad invicem convenire debeant, facilius intelligeretur: ad tori columnam affingi aut infra lacunar suspendi potest. Insuper, posito quod deorsum collocetur, non ideo communiter immediate supra tabulamentum sed supra quamdam basim ponitur. Hæc basis, a communi tabulâ ligneâ pulchre nigrescenti, quatuor parvis pedibus innixâ, ad tripedem, maxime gracilem, insolitâque formâ tabulam, formarum varietate numerosa et multiplex est. Nonnunquam assumitur pro basi parva mensa duplici tabulato: tunc superiori tabulato eximiæ artis quoddam opus, inferiori autem simplex et modicum florale opus ponitur. Insuper notandum est quandoque fieri posse ut vasa supra quædam fulcra posita, et quædam ingeniose mireque facta inter se convenire debeant: sic, quum flores emergunt e paterâ insolitâ formâ quam testudo ore sustinet, alia minor testudo apponi potest quâ augeatur et perficiatur pulchritudo operis.

Floralis corbis est unicum vas quod semper immediate supra ipsum tori tabulamentum collocetur, a tempore quo Yoshimassa, quum accepisset primum opus quod Hakodji eâ ratione confecerat, jussit illud ab humili montano excogitatum statim deponi super tabulamentum pulchre nigrescens, quia nullum repositorium decoris causâ

adhibendum esse judicabat, quo novi illius vasis pulchritudo magis efferretur, quia ipse nudâ ejus elegantiâ jam satis delectabatur. Quod pertinet ad vasa tum affixa tum suspensa, et præsertim hæc novissima, exstant regulæ sat severæ, quamvis sæpe mutatæ sint. Sic pensiles naves, quæ olim circiter uno interposito metro a lacunari aut supercilio, et in medio toro, suspendendæ erant, nunc suspendi debent quartâ parte latitudinis tori a columnâ interjectâ : sic in meliori lumine collocantur. Non raro duæ naves adhibentur, quarum una a supercilio circiter quadraginta ex centum partibus metri, altera autem eodem spatio interjecto a tabulamento suspenditur ; quod si hæc dispositio officiat picturæ, mutanda est.

Denique notandum est cubiculum ipsum non parum momenti habere tum ad flores tori, tum ad tabulas et chirographa : in cubiculo ordine primario, tabula au chirographum celebris pictoris aut calligraphi opus erit, opusque florale ambitiosâ doctâque specie erit ; in cubiculo ordine secundario, pictura aut chirographum, non tanti nominis pictoris aut calligraphi, decentius erit, utputa tironis alicujus, et compositio floralis non tantæ industriæ. Denique de exiguo cubiculo aut tabula aut opus florale demetur ; si servetur compositio floralis, modesta sit, et in locum picturæ simplex tabella sufficiatur. Itaque, juxta hanc regulam, interdictum ne puteales situlæ in cubiculum ordine primario admittantur, nisi ab honestissimi generis superiore dono datæ fuerint et illius honorandi causâ adhibeantur ; sed in cubiculum ordine secundario admittantur præceptum est. Tunc eâ ratione disponendæ sunt : in summo suspenditur trochleo, a columnâ ad tertiam partem transversi funis, tantum in longitudinem patentis quantum torus in latitudinem patet ; in-

ferioris situlæ labra assurgunt ad tertiam partem lineæ rectæ a tabulamento ad supercilium ductæ, id est, circiter ad quadraginta quinque metri partes ex centum a tabulamento, ita ut situla quodam fulcro inniti possit ; superioris autem situlæ labra ad tertias supradictæ lineæ rectæ. Denique si situlæ quadratæ sint, unius latus, alterius vero angulus ex adverso conspiciatur. Habes præcipuas regulas quibus situs florum in toro determinatur : florales vero compositiones repositoriorum angulis collocandæ communiter non tantæ artis et industriæ sunt.

Quum repositoria constant tribus loculamentis inæquali ordine dispositis, ad hæc transferenda sunt quæ jam dicta sunt de vasis, quibus tria sunt ora gradatim disposita, disponendæque sunt plantæ juxta ordinem quem poscit natura ipsa, scilicet supra superius loculamentum muscosæ arboris rami, supra medium vel arboris novellæ virgæ, vel terrenæ plantæ ; supra inferius vel terrenæ vel aquaticæ plantæ, pro speciebus supra medium loculamentum jam positis. Nonnunquam ad repositoria adjungitur parvum armarium (1), circiter quinquaginta aut sexaginta metri partes e centum partibus altum ; clauditur replis charteis, quibus non raro picti flores insunt. Tunc, haud secus ac pro picturis, ne ejusdem speciei flores supra repositoria collocentur. Denique, ut in toro, sic etiam florales naves infra repositoria vel armaria nonnunquam suspenduntur : unde alia series regularum, quibus situs illorum determinentur ; nam ea est hujus artis ratio et Japonensium constans studium, ut, in variis et multis rebus quibus instruitur ac ornatur cubiculum, nihil non convenire patiantur.

(1) *Fkouro-dana*.

Præter torum et repositoriorum locum, plures sunt in cubiculo alii loci, qui floribus excipiendis accommodari possunt ; cernere est, raro equidem, positos supra quædam instrumenta, quibus fixus in cubiculo non assignatur locus. Ad id aliquando adhibentur duæ leves tabulæ proceritate inæquali, in unum junctæ, pulchre nigrescentes et argento impressæ ; supra superiorem tabellam reponuntur in vasis idoneis flores lineis pendentibus, supra autem inferiorem flores in altum projecti ; vel adhibentur duæ tabulæ bambuseæ, una super alteram posita, quarum superior non æquali planitie est sed stramento arido tecta est. Supra inferiorem ex transverso ponitur bambuseus tubus ex quo reptantes plantæ oriuntur, quæ in tectum insilientes, exinde fere ad solum defluunt. Prior compositio floralis luxuriosâ, posterior autem maxime agresti specie (1) est : utraque, ad arbitrium artificis, in quâcumque parte cubiculi disponi potest, plurimumque addit pulchritudini præcipuarum compositionum, quæ tum in toro, tum in repositoriorum loco ostentantur.

His autem præceptionibus nondum contenti, plerique artis floralis magistri præcipiunt ut compositio floralis

(1) Juxta ejusdem generis rationem, supra hanc supellectilem nonnunquam irides, ante autem duo graciles tripodes floribus sacris ornati ponuntur. Hæc compositionis forma minoris artis et industriæ est quam præcedens, nec tamen sine jucunditate, præsertim ob rem præclaræ memoriæ, cui annexa est. Etenim antiquitus, ut narrant, incolæ pagi Ono (districtus Kadono, provincia Yamashiro) imperatoris principatui immediate subjecti, jussi sunt, festivis vestibus induti, ad Kiôtô palatium venire, pridie festi bellici die maii quinto agendi, ut palatii tectum iridibus supervestirent, quarum genus ob japonici nominis consonantiam (*Shôbou*) pro victoriæ signo haberi potest. (XIV, vol. I, cap. v, p. 29.) Ob eamdem forte rationem, rustica villarum culmina in pagis semper iridis floribus animantur.

apte cum horto conveniat (1). Nihil hoc rectius rationique conformius excogitari potest. Etenim japonicarum domorum optima cubicula, ea duntaxat quæ eximiæ artis operibus floralibus decoranda sunt, semper in meridiem versa, hortum pone domum jacentem prospiciunt, ut hiemali tempore aquilonem vitare, æstate autem austro refrigerari possint ; præterea lignea repla pellucenti chartâ vestita, quæ Japonensibus tum parietum, tum fenestrarum, tum januarum loco sunt, fere toto anno remota absunt, ita ut cubiculum horto continuari videatur. Quomodo autem fieri potest ut hortus et compositio floralis inter se conveniant ? Europæo judice, utrumque florum coloribus convenire debere statim æstimatur ; nam, nostro de more, ubi de horto agitur, ob oculos nobis effingimus pulvinos et areolas magnâ florum varietate distincta, in quibus virentia folia ad hoc tantum desiderantur, quo variis depicti coloribus flores nitidius distinguantur vel oculorum acies reficiatur ; ad summum formare valemus horti septa, in quibus videntur graminea prata, spelunca manu facta nonnullæque rupes quibus montana viridia internascuntur. Consuetudo autem Japonensium in ratione hortos disponendi, licet consuetudinis nostræ quidquam simile habeat, artis tamen ratione eâ præstantior est, scientiæque graphidis peritissimus quisque ex nostratibus japonici hortulani vel humillimi arte longe abest. Cujuslibet enim horti japonici finis præcipuus cujusdam celebris ruris aspectûs semper imitatio est ; consequenter flores infimas partes obtinent nec raro prohibentur ; arbores autem perpetuo virentes numero prævalent. Juvat equidem Japonenses colere flores, et quam in

(1) Vid. XXXIII, p. 50.

illis colendis curandisque constituerunt rationem, ea longe nostram colendi rationem tum arte tum effectibus antecellit. Ast flores coluntur in occulto et remoto loco, unde tantum producuntur, ut globatim sub tento exhibeantur certis florumque studioso cuique valde optatis temporibus; nec in componendo horto adhibentur, nisi horti lineis aptissime ad oculorum voluptatem dispositis minime officiant. Ne multis morer, ut compositio floralis, sic etiam hortus japonicâ ratione figuratus, non ex multis variisque rebus ad sensuum voluptatem incompte et quoquo modo congregatis constat, sed eximiæ artis opus est, quod ad id, quod optimum est in hominum mente, spectat, majoremque finem petit et assequitur. Ex iis generaliter dictis, ut omittam infinitam regularum seriem quæ ad rem non pertinent, facile colligi potest, ut cuique compositioni florali, sic etiam horto suam cuique inesse formam propriam et inter utrumque estheticam relationem existere posse. Japonenses autem, ut sæpius faciunt, floralis operis et horti convenientiam non e similitudine, sed ex dissimilitudine instituerunt. Itaque si hortus montuoso sit aspectu cum rupibus et aquis fluentibus (1) in contiguo cubiculo positum opus florale, tum naturâ, tum dispositione florum, planitiem ad mentem revocare debet : quod si hortus campestri specie sine aquis fluentibus sit (2), opus florale fluviatilem speciem potius significare debet. Haud dubium quin, ut in accommodatione florum ad tabulam, sic etiam in accommodatione florum cum horto, omnis eorumdem inepta repetitio vitanda sit ; itaque caveat artifex ne ad compositionem floralem assumantur flores qui

(1) *Sansoui-nioua.*
(2) *Hira-nioua.*

jam in horto sunt, et vice versâ. Eâ de re narratur quid significativum : quâdam die Hideyoshi rogavit Sen-no-Rikiou ut in opificinâ suâ ex convolvulis opus florale conficeret, promittens se ad eum iturum esse, operis floralis videndi causâ. Infeliciter contigit ut tunc temporis sapientis hortus magnâ horum florum copiâ splendesceret. Quomodo mandatum domini ad præcepta judicii accommodari poterit ? Non cunctatur Sen-no-Rikiou, et pridie quam Hideyoshi venit, omnes convolvulos succidi jubet, uno tantum relicto ad opus florale (1), cujus aliàs pulchritudine Hideyoshi vehementer captus est. Videor mihi Rikiou posterâ die in horto vastato ambulantem videre, animo quidem ob tantam vastationem paululum tristitiâ contracto, re autem ipsâ mente puro gaudio plenâ, quod florum jacturâ tantam sibi laudem et gloriam pepererat.

Ad hunc modum, tum flores et locus, tum singulæ partes floralis operis apte inter se concinunt. His quoque illud accedit quod, quæ de convenientiâ florum et temporis diximus, ea de convenientiâ temporis et eorum quæ circa opus florale sunt, prædicari possunt. Etenim ut flores, sic etiam tabula quæ plerumque ruris prospectum repræsentat, singulis anni temporibus mutatur. Nemini equidem ex nostratibus displicet in salutatorio cubili perpetuò ante oculos ponere quietam tabulam, in quâ, exempli

(1) Famosa est Sen-no-Rikiou parcitas et temperantia in floribus componendis. Quâdam die, quum ex convolvulis in vallo florentibus unum florem et unum folium tantum ad floralem compositionem collegisset, interrogatus cur, quæ sua erat solertia, in tam simplici compositione acquiesceret, neminem cum naturâ nisi simplicitate certando, contendere posse respondit. (III, vol. III, p. 13.) — Nihil autem illius arti eâ parcitate deperibat; nec ob aliam causam illi præter omnes arridebant convolvuli (cf. p. 86), quam quod illorum graciles caules multimodis et ingeniose flecti et torqueri poterant.

gratiâ, picta est imago camporum sub nive latentium, cum salebris in quibus plaustrarius in perpetuum hæret. Id solum populari nostro excusationi esse potest quod, quum tabulam istam cujuslibet ornamenti loco habeat, nunquam eam adspicit. Ast inter Japonenses, apud pauperrimos rusticanos, nec unum invenire est qui tale portentum sustineat; apud eos tabulæ tabulis succedunt, anno decurrente, ut aliter et aliter pro ratione temporis eas intentium mens afficiatur. Nonne inde manifeste arguitur quam recto et eleganti judicio sit ea gens in iis quæ ad artem spectant, et minora vitæ oblectamenta quam exquisite sapiat. Rebus ita compositis, omnia perfecte ac belle concordant; qui in tabulâ sunt flores, congruunt floribus qui in vase, et omnes simul hortuali cultui consentiunt, singulis quidem ad invicem oppositis, ita tamen ut, quatenus eodem tempore florentes, non disconveniant; mutatis opportune tabulis, aves in tabulâ depictæ, non secus ac viventes, hilariter ac jocose garrire videntur germanâ conversatione cum aliis quæ proxime in horto garriunt, et lenis strepitus auræ arbores demulcentis præcisos ac silentes ramos levi susurro vivificare creditur : sic omni genere formæ, colores, sonitus hinc inde obveniunt, invicem obsistunt, multimode miscentur, et in cubiculo japonico instituitur inter artem et naturam mira interlocutio, concentus jucunde audibilis menti artificum qui illum scite instruxerunt.

III

Quas hucusque animadvertimus convenientias si in opere florali, quatenus sive ad seipsum sive ad tempus vel ad locum comparatur, ex ratione generali ad estheticam

seu ad naturalem rerum pulchritudinem spectant. Sed in Japoniâ, compositioni florali adjuncta sunt alia principia quæ ratione poeticâ speciali fundata sunt. In eodem opere florali discerni quidem nequit quid mere ad estheticam pertineat, quid ad poesim traditionalem : nam apud omnes gentes, quibus prompta est imaginandi vis, plantarum regio non solum egregiis formis ac coloribus scite variatis ornata est, sed hujus incolæ hominis amici sunt, quos ille naturali ac necessariâ consensione velut affectuum suorum participes efficit : scilicet flores primum mentem nudâ suâ imagine afficientes, mox poetico sensu induuntur, quo simul ac formam etiam vitam accipere videntur. Itaque rationem estheticam discutiendo, sæpe rationem poeticam attigimus ; nunc autem de ratione poeticâ agendo, non possumus quin rationem ejus estheticam attingamus. Inter utramqne tamen rationem vera est distinctio ; prior enim pulchritudinem estheticam intendit, posterior autem pulchritudinem poeticam. Juxta priorem rationem, artifex pulchritudinem normalem intendebat, quam quilibet, dummodo recto judicio, sentire posset ; juxta rationem poeticam, pulchritudinem intendit e florum particulari significatione profluentem: itaque quamvis in operis compositione utraque ratio concordare debeat, altera tamen ab alterâ distincta est ob diversum principium, diversam essentiam, diversum finem.

Unum præcipue notandum est, scilicet apud Japonenses, in ordine ad artem floralem, quosdam flores cum dilectione admitti, quosdam autem cum aversione repelli : inde clare definita distinctio inter plantas præelectas et plantas a priori reprobatas ; quorsus eæ exceptiones ? Reprobantur quidam flores, prout jam vidimus, vel ob rationem estheticam : dantur enim quædam varietates propter formam

aut colorem minime aptæ ad floralem compositionem ; vel ob naturalem rationem, utputa venenosæ aut male olentes plantæ, quas quisque perosus est ; vel ob rationem arbitrariam, juxta quam repelli debent tum flores plantarum, quarum radix sola venenosa est (1), utpote qui infausti essent, tum species suavissimi quidem sed acerrimi odoris, quippe quæ circumstantium sensus vehementius afficerent, tum etiam quædam plantæ quæ, ex eo quod ex eis fructus percipi possit, artifici sordent, utpote qui artem sine quæstu colere debet ; utputa cereales (2), tum denique plantæ popularis notæ, utputa inutiles herbæ (3) : omnes istiusmodi species a quâcumque florali compositione repellendæ sunt. Sed præter hanc distinctionem quæ absoluta est, alia existit quæ spectat ad quosdam flores vel admittendos vel rejiciendos, quatenus florum significatio in usu civili hominum ad invicem intercedit.

Inde altera distinctio (4) priori superaddita, sed multo magis stricta ac severa, quippe quæ innititur sexcentis rationibus mere arbitrariis et traditione consecratis. In quo nihil mirum est ; nam quo homines magis extenuati ingenii sunt, eo magis humanos affectus rebus etiam inanimis annectunt, eò magis eisdem rebus opiniones suo tempore vulgatas inscribunt, et eò magis numero dilec-

(1) Exempli gratiâ *Yamatori-Kabto* (Aconitum Fischeri), *Yatsde* (Fatsia japonica), *Yama-adjisai* (Hydrangea liorta), *Inou-kous* (Machilus Thunbergii) et *Konniakou* (Arisæma japonica).

(2) *Gokok*. — Quædam vero olera magni æstimantur, utputa quædam brassicæ varietas (*Ha-botan*, Brassica sinensis), gracili caule, capite gravi in habitum pæoniæ assurgens, quæ ad compositionem floralem belle facit. — Hæc usurpatio brassicæ ad ornamentum figuris illustratur, *Houdzo-Dzfou*, vol. 46. (Cf. p. 59, n. 1.)

(3) *Dzôkka*.

(4) Vid. XXXIX, p. 160 seq.

tiones eorum ac aversiones crescunt et exaggerantur. Atqui, quum in Japoniâ ars floralis, quamvis duplici functione insignita sit, esthelicâ scilicet et poeticâ, ad tertium finem usurpatur, scilicet ad civile commercium, ita tamen ut nunquam sive ab esthelicâ sive a poeticâ ratione recedat, hinc patet ob nationale ingenium et proprios Japonensium mores, in iis quæ ad mutuam societatem spectant, regulas quasdam oriri debuisse de quibusdam floribus admittendis, de quibusdam vero rejiciendis pro significatione illis attributâ.

Ne plura, exemplum unius floris afferam, de quo ratio poetica et mos socialis vulgo nota sunt, scilicet camelliæ, quæ ad ornamentum admittitur, numquam autem urbanitatis causâ offerenda, quatenus infausti ominis est : nam flores ejus rubricati et integrâ corollâ cadentes, vividius imitantur, imaginatione Japonensium interpretante, casum præcisi capitis. Quod attinet ad plantas quæ a Japonensibus urbanitatis causâ adhibentur, septem præcipue species annumerantur : scilicet chrysanthemum, narcissus, acer, cerasus, pæonia, rhodea et wistaria. Chrysanthemo, præter nomen commune, « perpetuus flos » (1) nomen factum est, quatenus quatuor temporibus anni floret, quamvis florum decore autumnali tempore potissimum splendeat : nec tamen, uti ferunt falsò Europæi, Japoniæ nationalis flos est : quare autem peregrinatores in errorem inducti fuerint, ex eo sciri potest quod præter cæteros flores semper Japoniæ imperatoribus gratissimum fuerit, utpote qui, ut hisce temporibus, sic etiam jam a nono sæculo illius gratiâ in palatii hortis festivitatem agendam esse instituerunt. Narcissus, qui etiam « utriusque sexûs

(1) *Kikou*, et *Tchôjou-sô*.

planta (1) » dicitur, quia hiemali tempore flores mittens ad ver sequentis anni perdurat, eo magis arridet his temporibus quo rariores sunt alii flores ; nec tamen illi eadem laus est ac pluribus alii vilioris notæ floribus. Acer, seu cognomine « planta venena repellens » (2), quippe quod, ut lotos aquæ, sic aeris vitia purgare dicitur, autumni temporis decus est ob rubrum variantem colorem, nec unum horti dominum invenire est qui non turpe ducat non esse in horto suo valliculam nonnullis hujus generis arboribus consitam, juxta collem manu exstructum et ad Occidentem versum, ut egregia illorum folia accipere possint radios solis occidentis, quibus coloris claritas mirum in modum augeatur. Flos vero cerasi (3) ipse Japoniæ merus et germanus flos est ; hujus gentis armorum studiosissimæ imago, illius mentis acuminis, mobilitatis et fortitudinis vera figura est ; nec unum invenire est vel imperatorem qui cerasum vehementer non sit admiratus, vel poetam qui eam versibus non nobilitaverit, vel unum popularem qui domi suæ esse velit quum florere incipit ; ad hoc, eo artis peritissimo cuique gratior esse videtur, quo intra brevius tempus exolescit, et pauperrimus quisque pro scelere æstimaret vel cogitare de ejus corrigendâ naturâ, ut inde utiles fructus obtinerentur.

« Si quis, ait poeta (4), te interrogaverit de merâ Japonensium mente, silvestrem cerasum solis radiis refulgentem ostenta » ; vel, ut proverbii loco dici solet (5), « ut

(1) *Souizen*, et *Inyô-sô*.

(2) *Momiji*, et *Dokoughé-sô*.

(3) Vid. p. 89, n. 8.

(4) Motoori : « *Shikishima no — Yamato gokoro ouo — Hito tooouaba — Asahi ni niou — Yama zakoura bana.* »

(5) « *Hanaoua sakouraghi, hitooua boushi.* »

miles hominum, sic cerasus florum principatum obtinet » : sic artifices et vulgus, in flore nationali laudibus efferendo mirum in modum inter se concinunt. Pæonia autem, quæ « felicitatis flos » (1) nuncupatur, memoriam Sinæ refert, ubi pro florum reginâ habetur : ideo nullum invenire est palatium aut monasterium, quod non illius ingentibus luxuriantibusque floribus ad ornamentum valde idoneis decoratum sit. Rhodea (2) vero, patulis foliis aquatica planta, quia ipsius folia tum frigoribus tum caloribus resistentia anno integro viriditatem et vigorem custodiunt, idcirco hunc obtinuit locum. Denique wistaria, seu « gemini temporis planta » (3) quippe quæ et verno tempore et æstate floret, tantâ pulchritudine eminet, ut meritò hunc honoris gradum assecutam esse dici possit.

His septem floribus probatissimis addi potest iris (4), cui ob insignem colorem (5) mirificamque speciem (6) laus magna est, licet inter flores ordinis primarii non annumeretur. Hujusmodi autem flores ad opus florale componendi ratio multiplex et quasi ad infinitum variari potest, pro innumeris cujusque generis varietatibus, pro temporibus et mensibus quibus quæque varietas adhibetur, pro adjunctis vel significatione propositâ : singula et

(1) *Botan*, et *Fki-gça*.

(2) Vid. p. 89, n. 13.

(3) *Fouji*, et *Niki-sô*.

(4) Præsertim varietas *Kakitsbata* dicta.

(5) Viola, præsertim intento et fere nigro colore, semper apud Japonenses ut mira plurium colorum permixtio habita fuit, et antiquitus magnatium japonicorum propria erat. Hisce etiam temporibus artis floralis magistri ipsi hanc violam tanquam fundamentum habent quo omnium colorum concentus innititur. (Vid. p. 12, n. 3.)

(6) Rigida et ensium laminarum instar arrecta iridis folia disponendi ratio, artis floralis maxime difficilis pars est.

omnia pro cujuslibet compositionis genere a magistris fixa et minutatim descripta sunt; quæ omnia generatim percensere longius esset (1). Nec tamen alienum erit notare quod ad civile commercium hominum ad invicem, ut admittendi et rejiciendi flores sunt, sic etiam florum dispositiones laudatæ, quædam vero prohibitæ sunt. Hæc distinctio (2), tum in florum speciebus tum in florum dispositionibus facienda, partim rationibus estheticis, quas supra jam indicavimus, partim poeticis vel civilibus rationibus fundatur; attamen hæ rationes illis pauciores sunt, quoad saltem prohibitiones; nam quod attinet ad præcepta positiva, ex variis plantarum speciebus ad invicem oppositis plures poeticas significationes oriri posse manifestum est.

Nec omittendum vasa ipsa apud Japonenses suam significationem habere, et floribus tum seorsim tum simul sumptis allegorice consentire. Quod egregie cognosci potest famosâ descriptione, auctore Yoshimassa (3), quâ decem vasorum notæ enumerantur. Juxta hujus descriptionis sententiam, simplicitas tranquilla (4) arundinibus et iridibus in vase duplici tubulato dispositis figuratur; appetitio (5) plantâ reptanti, quæ ab imo vase ex marcido ligno in cochleam retorta prosilit, affectus (6) wistariâ pini ramum circumjectâ et in magno arenario aut æreo vase dispositâ; serenitas (7) animi albis chrysanthemis positis

(1) Vid. XIV, vol. II, pass.
(2) Vid. XXXIX, p. 160 seq.
(3) Vid. XIV, vol. I, cap. 2, p. 18 et cap. 3, p. 19; XXX, cap. 4, p. 16; etc.
(4) *Youghenn-te.*
(5) *Tchôkô-te.*
(6) *Youshin-te.*
(7) *Ouraraka-te.*

in æreâ nave pensili, ad speciem appulsæ navis dispositâ; austeritas (1) eulariis et patriniis in parvo æreo vase (2) dispositis; elegantia (3) parvis chrysanthemis in vase in modum lagenæ figurato et ad columnam affixo positis; splendor (4) lespedezis dispositis in æreo vase, quo incisi sunt anseres silvestres lunæ orbem volando transmeantes; castitas (5) ramo aceris posito in æreo vase, quo effigies pluviæ cadentis incisa est; securitas (6) quâlibet aquaticâ plantâ in æreo vase dispositâ, quo araneum incisum est; veneratio (7) pini, vel cujuslibet perpetuo virentis arboris ramo posito in æreo vase, quo ciconiæ imago picta est (8). Omnes hujusmodi allegoricæ significationes tum apud solos Japonenses, tum apud quamlibet gentem, modo humanitate perpolita sit, vulgatis opinionibus fundantur, nec tamen a poetica et civili ratione et functione recedere dici possunt. Hinc, saltem quod attinet ad artem floralem in genere consideratam, non tanti momenti esse dicendum esse videtur.

Jam, ut omittam vasorum et florum convenientiam, tum quosdam flores, tum quasdam florum compositiones, urbanitatis et fausti ominis causâ, omnino rejicienda esse novimus. Nunc vero quibusnam temporibus admitti possint dicendum restat, et primo de præcipuis festivitatibus

(1) *Kotoshikaroubeki-te.*
(2) Forma hujus vasis *nozame* nuncupati apte congruit cum plantis modestis ac humilibus, de quibus nunc tractamus.
(3) *Omoshiroki-te.*
(4) *Tsouyayaka-te.*
(5) *Miyo-te.*
(6) *Hitofoushiarou-te.*
(7) *Iki-te.*
(8) Pinus et ciconia pro longæ vitæ signo habentur.

agendum est. Inter festivitates sine numero, quibus jocosa gens illa gaudium agitare solet, primò annumerari debet primus anni incipientis dies, cujus ea virtus est ut universa Japonensium multitudo, ad eos etiam qui carcere detinentur, requiescant et gaudia sumant, deinde quinque præcipuæ anni festivitates. Primo anni incipientis die, quum ingressus fueris mane cubiculum, invenies illud refertum porcellaneis aut æreis vasis singulis pino, bambusâ et pruno ornatis (1) : hæc sunt dona quibus domestici vitam longam, faustam et felicem tibi optant, pinus enim perpetuo virens longam vitam, bambusa prosperitatem significat, pruni vero flos, albus, castus et blandus cubiculum odoribus complens, hujus gelidi temporis primitivus flos est, illiusque fragrans odor sapientis vitæ imago est.

In hujusmodi floralibus compositionibus, pinus semper ad primariam, ad secundariam bambusa, ad tertiariam vero prunus semper adhibetur. Licet etiam aliam dispositionis rationem adhibere et ponere in vase ex bambusa virenti pini et pruni ramos, vel primo anni incipientis die uti pino, secundo die bambusâ, tertio autem die pruno : nonnunquam etiam adonis (2), rhodea et ardisia (3) sociantur cum pruno, vel disponitur in vase affixo aut suspenso fluvialis salix (4), Vergilio gratissima, aut salix babylonica (5); tunc vero, ne plures sint lineæ pendentes, ne forte potius luctuosam et funebrem quam hilarem et laetam speciem opus florale præ se ferat. Reliquæ præcipuæ

(1) *Sho-tchikou-bai* nuncupatur.
(2) *Fkoujou-sô* (Adonis amurensis).
(3) *Yabou-Koji* (Ardisia japonica).
(4) *Neko-yanaghi* (Salix buergeriana).
(5) *Shidare-yanaghi* (Salix babylonica).

festivitates numero quinque sunt (1) : scilicet septimo die primi mensis, « septem herbarum solemnitas (2) », a Sinensibus assumpta, in quâ septem specie differentes magicas herbas (3) septem diversis domesticis instrumentis, calamitates ab se deprecando Japonenses evellere solent : in hâc solemnitate, eadem ac in tribus anni incipientis primis diebus dispositio floralis adhiberi solet ; tertio die tertii mensis, festivitas puparum (4), gratiâ puellularum, quibus pupæ optime vestitæ imperatoris illiusque uxoris speciem gerentes, abiegnisque locellis inclusæ dono dantur : ad hujus festivitatis compositionem floralem cerasus, persicus, salix, rhodea et rosa indica adhiberi solent ; deinde quinto die quinti mensis, festivitas puerulorum (5) : pro quâque domo erigitur longurius in cujus fastigio totidem ingentes pisces ex pictâ chartâ atque pueri in eâ domo sunt, interjectis fluentibus infulis, molliter fluctuant, ita ut, si quando opus esset, puerorum censum agere haud difficile esset : ad hanc festivitatem assumi solent iris, quædam species præcocis chrysanthemi et specialis quædam bambusæ varietas (6) ; septimo die septimi mensis (7), celebrantur amores duarum stellarum, cujusdam scilicet bubulci mythici (8), in signo Aquilæ siti,

(1) *Go-sekkou.*

(2) *Nana-Ksa.*

(3) *Seri* (Œnanthe stolonifera), *Nadzoumagoghiô* (Capsella bursa pastoris), *Hakobera* (Stellaria neglecta), *Hahako* (Gnaphalium multiceps), *Tabiragho* (Eritrichium pedunculare), *Otokenoza* (Lamium amplexicaule) et *Daikon* (Raphanus sativus).

(4) *Hina-matsouri.*

(5) *Otoko-no-sekkou.*

(6) *Môsô-tchihou* (Bambusa pubercens.)

(7) *Tanabata.* — Hæc vox ex « *Yamato* » seu vetustissimo sermone desumpta, « septimum vesperem » significat.

(8) *Ken-ghiou.*

et cujusdam sericariæ (1) quæ eadem est ac Vega : utraque stella, propter nescio quam culpam, a diis ad dextram et ad lævam cœlestis fluvii (2), id est, lactei orbis disjecta, unâ tantum nocte in anno coire possunt : in hâc faustâ lætissimâque die, septem florum species tribus vasis disponuntur, in vase scilicet medio tres plantæ quarum media cupressus (3) est, in aliis autem singulis vasis duæ plantæ : singula floralia opera circumcinguntur serico fune « precatorio » (4) quintuplici colore, scilicet albo, flavo, cœruleo, violaceo et purpureo : vel etiam in eumdem usum adhibentur duæ naves suspensæ, proris ex adverso stantibus, in quibus disponuntur chrysanthema chartea septem coloribus distincta, inter quæ naturalis flos semper apparet, unius operis florealis lineâ fluenti duobus, alterius autem fluenti lineâ quinque precatoriis funibus quinque coloribus distinctis circumcinctâ; postremo noni mensis nono die festivitas chrysanthemorum (5), in quâ pocula chrysanthemis coronata, ut olim apud Romanos rosis, ministrari solent : in hac festivitate ab aureo flore principatum facile obtineri manifestum est : ad normalem compositionem, colore differentium florum quinque varietates adhiberi solent, scilicet ad primariam albo colore, ad secundariam diluto rubore, ad tertiariam fusco rubore, ad bi-secundariam flavo colore, denique ad subprimariam cœruleo vel violaceo varietas : aliam etiam cernere est compositionem insolitâ specie et unicolorem, quæ nihilominus tricolor nuncupatur, quia ærei vasis niger color

(1) *Shok-djo.*
(2) *Amanoghaoua.*
(3) *Sakaki* (Cleyera japonica).
(4) *Negai-no-ito.*
(5) *Tchoyo-no-sekkou.*

et foliorum viridis color in numerum et concentum colorum referuntur.

Præter has solemnes festivitates, numerantur plures aliæ minoris momenti, quarum nulla non sua florali compositione distincta : sic primo die sexti mensis, quo anni torridum tempus inchoatur, disponendæ sunt aquaticæ plantæ in patentibus vasis, in quibus arena et calculi candida glaciem animo recogitandam offerunt ; primo die octavi mensis (1), quo magnus Iyeyas primò civitatem Eddo intravit (2), adhibendæ sunt fructiferæ aut bacciferæ species ; octavo die octavi mensis, Bouddha obitûs die anniversario, flores omni labe carentes tantum assumi debent ; quinto decimo die mensis octavi, frugum festivitatis occasione, ad hujus temporis flores addendum est maturæ orizæ manipulum. Nonnunquam solemnitas, licet non ab omnibus celebretur, fixo tamen tempore agitur, ideoque idonea opera floralia requirit. Sic primo die undecimi mensis (3), quo olim quidam Sinæ imperator (4), suadente quodam hariolo, ad impetrandum filium quem ex tribus millibus concubinarum procreare non potuerat, supplicationes diis decrevit, mulieres steriles parva seu « infantia chrysanthema » (5 et ramos fructibus ornatos offerunt. Omnes hujusmodi florales compositiones congruebant cum ratione pristini calendarii lunarii, quod initium sumebat uno post mense,

(1) *Hassakou.*

(2) Anno millesimo quingentesimo nonagesimo. — Scribimus *Eddo* et non *Yeddo*, quum Japonenses ipsi civitatem *Yeddo* nuncupatam unquam extitisse negant.

(3) *Ghentchô.*

(4) Imperator Re.

(5) *Ko ghikou.*

quam gregorianum calendarium circiter viginti abhinc annis introductum inchoatur (1), ideoque hodie quandoque cum festivitatibus anticipatis non apte conveniunt.

Quânam ergo ratione, verna floralis impositio, quæ vix jam ad primum diem mensis februarii accommodari poterat, ad primum diem mensis januarii accommodari poterit? quomodo fieri poterit ut ad autumnalem compositionem florum facultas sit? Tunc, prout res postulat, vel culturæ vis affertur, quum exempli gratiâ agitur de primo anni incipientis die, qui transferri nequit, vel transfertur festivitas, utputa festivitas chrysanthemorum quæ sine ullo incommodo unum aut duos menses prodi potest.

Insuper non paucæ reperiuntur plantæ apte cum pristino calendario concinentes, utpote quæ plures menses flores ferunt.

Quas modo in floribus, ad festivitates singulis annis, statisque diebus occurrentes accommodatis, poeticam significationem annotavimus, ea denuo apparet in floribus ad quædam solemnia jam non publica sed privata destinatis, quæ, haud secus ac occasiones e quibus oriuntur, temporibus non certis occurrere possunt. Inter hujusmodi solemnia primo annumerandum quidquid ad religionem pertinet. Etenim ex Japonensibus infimus quisque deûm pœne negligens, optimus quisque fere rationalista, et

(1) A primo die januarii 1873. — Japonenses autem licet annos et menses computandi rationem mutaverint, nunquam æram christianam admittere voluerunt, quia ea esset confessio, peregrinam religionem rerum potitam esse et aliquid ex summâ imperii potestate diminutum fuisse: nam sicut apud Occidentales publice æs signandi jus, sic apud extremi Orientis gentes in æras tempora digerendi et dividendi potestas pro libertatis signo haberi solet. Sic primus dies januarii 1896 primus est dies primi mensis (juxta novum calendarium) vigesimi noni anni « æræ lucentis » (scilicet Meji, seu æræ nunc in Japoniâ vigentis).

sacerdotes omnes ad unum nullum aliud officium nisi libitinam exercere videntur, quippe qui ad funera celebranda tantum vocantur ; nec unum invenire est qui, licet quamdiu vixit shintoismo publice assensus fuerit, funus suum buddhisticis ritibus utpote solemnioribus et majori poeticâ significatione pollentibus, celebrandum esse jubere non audeat : compertum est igitur hujusmodi religionem, aliunde in sectas numero fere infinitas divisam et a potestate civili prorsus solutam, non pollere eâ publicâ auctoritate, quâ solâ stativæ feriæ institui possent ; inde cultum mere privatum esse et ad cujusque arbitrium ordinari merito dici potest. Magistri igitur artis floralis, ad libitum, tum juxta buddhisticam tum juxta rationem shintoisticam, flores disponendi vias perlibenter tradunt : quod mirum non est, siquidem communiter in quâque domo, duo delubra esse solent, unum shintoisticum patriæ genitoribus custodibusque diis (1), alterum autem buddhisticum parentûm manibus dedicatum (2). Prius florali compositione densâ lautissimâ ornandum est, a quâ omnis invenusta aut spinosa planta repellenda est : id istius compositionis præcipuum est quod fert « adversum ramum » post primariam dispositum et introrsus directum, et quod meridiem spectare debet ; posterius autem ornandum est florali compositione densâ quidem, incomptâ autem ex industriâ, et ita disposita ut pulcherrima pars aram spectet, ita ut minime cerni possit, opusque florale septentrionem spectare debet : adhibendi sunt albi flores, cum ramis naturalibus modice curvatis, omnibus foliis aridis excussis. De hâc re quid significativum narratur :

(1) *Kami.*
(2) *Hotoke.*

quâdam die quidam optimas, quum in delubro majorum suorum opus florale mire confecisset, interrogatus a principe sacerdotum utrum mortuorum an vivorum gratiâ opus composuisset, pudore confusus opus florale dissolvit et in illius locum compositionem minus ambitiosam supposuit. Denique plantarum specierum distinctio ex templis ; utputa ad shintoistica templa adhiberi solet præsertim cupressus, utpote quæ ut antiquissima arborum ideoque patriæ diis dicata habetur ; ad templa autem buddhistica illicium religiosum (1). Lotos vero, quæ etiam « buddhisticorum manium flos » (2) nuncupatur, non raro religionis causâ in toro collocatur ; tunc temporis omnes alios flores honore antecedere debet. Illius folia, quæ primum tenent loco in compositione florali, semper habent quamdam allegoricam significationem quâ temporis buddhistica divisio figuratur ; scilicet ad primariam adhibetur folium passum quo præterita (3) exprimuntur, ad secundariam folium implicatum quo futura (4) significantur, ad tertiariam autem semi-passum quo præsentia (5) indicantur. Sunt etiam flores accommodati anniversariis (6) mortuorum successive celebrandis : a primo ad quartum decimum anniversarium, compositio simplex est, ex floribus albis et flavis, primariâ quandoque languenti, et ex ramo cupressi, qui « sacrum donum » (7) nuncupatur ; a quinto decimo anniversario, hilariores compositiones,

(1) *Shikimi* (Illicium religiosum). — Hujus plantæ folia desiccata et trita pro thure adhibentur.

(2) *Hotoke-no-hana.*

(3) *Kako.*

(4) *Mirai.*

(5) *Ghenzai.*

(6) *Tsouizen.*

(7) *Tamouke-no-eda.*

etiam rubentes flores, permittuntur, modo ad primariam, inter temporis hujus flores, muscosus senioque defectus ramus adhibeatur : quidquid sit, ne unquam ullus flos adhibeatur, cujus nomen, utputa quoddam lilium (1), constat charactere dæmonem significanti (2) ; denique ad quadragesimum anniversarium, disponuntur rami languentes floribus albis et flavis omnino dehiscentibus vel etiam obsoletis ; rejiciuntur vero flores non evidentes aut plantæ ascendentes, « donumque sacrum » ante primariam disponitur.

Ad religionem etiam pertinere videntur quædam florales compositiones speciales, utputa flores diis oblati, quum preces adhibentur ut ægrotans quis ad sanitatem redire valeat (3) : hujusmodi compositio hilari specie lineisque valentibus conspicua est : ad eam conficiendam adhib n-tur tantum nonnullæ plantæ tunc temporis florentes, repellendæ sunt quædam species, utputa pinus cujus ambitiosa significatio deorum invidiam excitaret (4) ; vel etiam florales compositiones ad pluviam (5) aut ser-nitatem (6) cœli impetrandam adhibitæ. Priorum lineæ quatuor cœli partes spectant, primariâ a solis ortu flantis venti pluvii impetu veluti pressâ, ab oriente ad occidentem inclinatâ ; posteriorum autem lineæ easdem cœli partes spectant, sed primaria ab occidente ad orientem, a solis occasu flanti, tempestatisque egregiæ prænuntio vento veluti inflexa, inclinatur.

(1) *Oni-Youri* (Lilium tigrinum).
(2) *Oni.*
(3) *Kitô-no-hana.*
(4) Cf. p. 128, n. 1.
(5) *Amaghoi-no-hana.*
(6) *Hiyorigoi-no-hana.*

Sunt aliæ florales compositiones prædeterminatæ ad ritus civiles quibus notantur præcipua intra hominum vitam evenientia. Primus aliquanti momenti ritus, ut omittam natalicium cui nihil inter cætera præcipuum est, et festivitates tum puellarum tum puerorum, quas supra annotavimus, occurrit ille qui uniuscujusque pueri occasione celebrabatur quum primum festiva femoralia induere (1) et posterius, apice tantum in testimonium pubertatis servato, caput nudare (2) solebat : ad utramque festivitatem, rejectis ramis languentibus floribusque extinctis, flores non evidentes novellique rami requirebantur, opusque florale totum firmâ fortique specie esse debebat. Occurrunt deinde ritus hisce etiam temporibus adhuc vigentes, qui occasione sponsalium et nuptiarum celebrantur. Sponsalium occasione ultro citroque mittuntur dona (3), utputa vestes aut pisces, ornanturque domus, salutatorum gratiâ, floribus faustissimis et urbanâ significatione maxime conspicuis : in nuptiarum autem festivitate duplex tempus distinguitur, scilicet tempus triste, quo puella candidâ, scilicet lugubri, veste induta, quâ actum esse de familiâ significatur, relinquit domum paternam quæ, perinde ac si cadaver ex eâ elatum fuisset, statim purificatur : mox autem tristitiæ subit tempus lætitiæ, quum sponsa domum sponsi ingressa, solito de more, simul cum marito ternis vicibus tribus poculis (4) labra admovet, et postea paulisper relictis circumstantibus, claris distinctâ coloribus veste induta denuò apparet. Haud dubium quin tunc temporis

(1) *Hakama-ghi-no-hana.*
(2) *Ghembouck-no-hana.*
(3) *Youino.*
(4) *San-san-kou-dô;* ad verbum : « ter, ter, novies », quia uterque conjux successive tribus poculis diversis ter labia admovet.

speciosissimæ magnificentissimæque florales compositiones requirantur ; in toro bina vasa, inter faustissimos flores superba adstant, alterum pino, alterum bambusâ ornatum ; prohibentur autem vel vasa pensilia utpote rerum humanarum mobilitatem significantia, vel fluentes rami quatenus concordiæ et animi firmitatis defectum exprimentes, vel flores violacei utputa wistaria et iris, quia parum hilares sunt, conjugumque summam conjunctionem exprimendi causâ, assurgunt caules sericis funibus (1) strictissime obstrincti. Hic notare operæ pretium esse videtur quòd, quum in Japoniâ per matrimonium vel puella pro filiâ (2) a conjugis parentibus, vel adolescens, ne pereat nomen familiæ, pro filio (3) ab uxoris parentibus adoptari possit, florum dispositiones hanc differentiam referre debeant. Itaque, albo colore pro femineo, rubro autem pro masculino ab omnibus Japonensibus habito, quum sponsa in familiam mariti inducitur, operis floralis primaria alba, secundaria vero rubra esse debet, quia sponsa ut hospes habetur ; in casu contrario, ob inversam rationem ruber color primas habebit partes. Ut omnes ordine persequar florales compositiones, quæ quamdam relationem habent ad præcipuas hominum vitæ periodos, quasi præteriens referam vel compositiones ex muscosis senioque confectis ramis, serotinis plantis et floribus assurgentibus, seniorum festivitatum causâ, vel tristes languentesque flores in tubis bambuseis positos, quibus ornantur sepulchra.

Nonnullæ sunt aliæ florum dispositiones, quæ non ad vitam humanam in genere, sed ad quosdam speciales casus

(1) *Midzouhiki.*
(2) *Yome.*
(3) *Mouko.*

spectant. Sit in exemplum, floralis compositio ante ægrotantem posita (1), validâ firmâque specie conspicua, ut ægrotanti ab ægritudine recreationem animo excogitandam offerat ; compositio floralis in separationis signum (2), quæ contra legem, juxta quam flores cum tempore anni convenire debent, semper conficitur ex assurgentibus, seu ut Japonenses vocant, « redeuntibus floribus » (3), quibus tacite promptus felixque reditus optetur ; compositio floralis in profectione militum ad bellum (4), quæ eâdem ratione conficitur ; compositio floralis in tempore obsidionis (5), a quâ omne folium aridum aut demissum rejiciendum est, cujusque caules ab inferiori parte strictissime in unum juncti vehementer in altum assurgere debent ; compositio floralis ad celebrandam provectionem dignitatis (6), in imâ parte floribus non evidentibus, in summâ autem dehiscentibus insignita ; compositio floralis ad cæremoniam tonsuræ (7) : hæc cæremonia pervagatissima erat apud veteres Japonenses qui, viribus adhuc vi-

(1) *Biôtchou.*
(2) *Kadode-no-hana.*
(3) *Kaeri-bana.*
(4) *Shouts-djin-no-hana.* — Casus ille procul dubio occurrit in recenti sinico-japonico bello. Cf. p. 162, n. 1. — Shoôsai hujusmodi compositiones florales conficiens, omnes flores adversos disponere studebat, significans militem vere japonicum nunquam terga dare debere ; præcipuè adhibebat pinum, quæ pro puritatis signo ab illius scholâ habetur, et prunum quæ nivis terrore carens temporibus hiemis florescit. Maximam huic significationi inesse convenientiam facile colligi potest, attentâ incredibili fortitudine quam Japonenses, tum in nivalibus Mandchuriæ campis, tum apud Oue-he-oue horridâ prægelidâque tempestate demissâ præstiterunt.
(5) *Rôdjô-no-hana.*
(6) *Kaghi-no-hana.*
(7) *Honshi-ghata-no-hana.*

gentibus, civilia negotia relinquere, vitamque religiosam ingredi solebant : hujusmodi compositio, rejectis floribus rubris aut extinctis, granosis plantis maxime constat ; postremo compositio floralis domorum calefaciendarum ritûs occasione adhibita (1) : hujusmodi ritus principio hiemi celebratur : sedulò rejicienda est quæcumque planta, cujus nomen vel color animo excogitandum offert ignem (2), quo nihil ligneis japonicis casis infectius sæviusque excogitari potest. Attamen inter hujusmodi compositiones florales eæ potissimum notari debent quæ quasdam litteratorum et cultiorum congressiones spectant, et imprimis thæi solemnitatem (3). Prout jam vidimus, hujusmodi compositiones ex industriâ simplicitate exquisitissimâ specieque incultâ (4) præter omnes sunt ; ast semper providetur ut gratâ novitate adstantium admiratio moveatur, semperque inusitatâ ingeniosâque formâ vasis modicæ mirificæque florales compositiones ex tempore conficiuntur. Operæ pretium esse ducimus pauca dicere de conditionibus thæi solemnitatis, quatenus spectant rationem quâ flores cum loco convenire debeant. Quan-

(1) *Shinntakou-no-hana.* — Ejusdem generis compositiones florales usitantur, quum nova domus inauguratur.

(2) Vox japonica *ignem* et vox *rubrum colorem* significans, licet diversis litteris sinicis scribantur, idem sonant quum pronuntiantur (*hi*); inde rebentes flores prohibentur. Aliunde nonnulli flores, utputa *Himeyouri* (Lilium concolor) et *Himaouari* (Helianthus annuus) rejiciuntur quia in illorum nominibus infausta syllaba inest. *Hinoki* (Thuya obtusa) vero communiter cum aversione rejicitur tum ob illius consonationem, tum ob eam causam quod hujus arboris lignum antiquitus ad ignem eliciendum adhibebatur : a quibusdam autem scholis cum dilectione admittitur, quia alia est vox, significans « tutelam contra ignem » quæ etiam *hinoki* pronuntiari potest.

(3) Vid. XXXIX, pass

(4) *Nagha-ire.*

doque solemnitas in maximo cubiculo agitur; tunc torus ornandus est floribus et tabulâ apte inter se concinentibus; communiter autem, antiquas traditiones observandi causâ, cætus habetur in exiguo cubiculo, quod ad solemnitatem vocati per parvam januam se submittentes singuli ingredi solent: tunc floralis compositio maximam partem obtinet in cæremoniâ. In primâ parte cæremoniæ, tabula sola ante adstantium oculos ponitur; deinde brevissimum spatium intermittitur, quo omnes adeuntes recedunt. Regressi inveniunt picturam allatam et in loco ejus floralem compositionem, subito iis absentibus dispositam, quæ adstat vivido colore roreque nitida. Pro formâ vasis, diversa specie est: ad vas supra tabulam collocandum primaria sola, ad vas ad columnam affigendum secundaria, ad vas pensile tertiaria adhibetur, ideoque si tres caules admittantur, in unum jungi debent. Quod attinet ad adhibendas florum species, severæ præscribuntur regulæ, multique flores, variis de causis, utputa thæum (1), cerasus, rosa, lotos et cætera hujusmodi generis, omnino rejiciendi sunt. Alia erat familiarium congressio (2), optimo cuique olim gratissima, nunc autem infeliciter exsolescere incipiens, congressio scilicet familiarium ad versus componendos habita. Communiter hujus temporis flos, utputa cerasus, proponebatur ut argumentum, quod quisque pro fortuito animi impetu aut ingenio suo versibus persequebatur. Longa inter magistros controversia fuit utrum ad compositionem floralem flos versibus celebrandus adhibendus, anve rejiciendus esset; ad ex-

(1) *Tcha-no-ki* (Thæa sinensis).

(2) *Shi-Ka-renpai seki;* ad verbum: « congressio ad parva carmina japonicis et sinicis litteris componenda.

tremum ex scholâ Enshiou profecti magistri hunc florem admitti posse statuerunt, modo floralis compositio simplex et modesta sit, ne florum compositor poetam facili victoriâ superans, ob vividam florum expressionem ei rubori sit. Denique ne omittam veteribus gratissimum oblectamentum, quasi præteriens referam thuris cæremoniam (1), quæ in eo erat quod nonnulli inter se conjuncti in quoddam cubiculum conveniebant, ut thuribus specie differentibus in carbone positis, tenuis ratio diversorum odorum exigeretur. Tunc in toro, præ tabulâ in latitudinem diffusâ (2), mire facta, a terrâ modice exstans duplicique tabulato supellex ponebatur, cujus pars superior thuribulo æreo aut porcellaneo ingeniose facto, inferior autem vasculo cum minutâ florali compositione ornata erat, vel flores, ne propinquo igne læderentur, in vase ad columnam affixo vel infra lacunar suspenso ponebantur; vel etiam floribus in loco thuribuli dispositis, suspensum thuribulum adhibebatur. Quidquid sit, compositio floralis simplici specie, uno tantum flore et uno ramo vel ad summum unâ ramosâ stirpe constare debebat, prohibebanturque odoriferi flores (3), quorum odores impedimento fuissent quominus ratio saporum recte exigeretur.

Attamen præter cæteros singularis maximeque notabilis est cœtus floralis (4), cujus summa in eo est ut nonnulli venustiores cultioresque ab amico convocati, opera floralia ab illo composita videndi causâ, in illius domum congregantur, et ipsi quoque ab hospite rogantur

(1) *Kô-no-seki.*
(2) *Yoko-mono.*
(3) Præsertim *Djintchôke* (Daphne odora), *Hama-ghikou* (Chrysanthemum nipponicum), etc.
(4) *Hana-no-seki.*

ut quasdam compositiones florales subito conficere velint. Ast hujusmodi familiarium congressioni quantum saporis, quantum venustatis inest ! Forsitan non alienum erit hic referre regulas quas magistri a tironibus servandas tradunt (1) ; nam in illis quasi in brevi tabella japonicæ vitæ ritus moresque præcipuos videre est, et insuper quomodo, quæ hucusque exposuimus, præcipua præcepta a Japonensibus exerceantur, ex eis facile intelligi potest. Hic igitur adest salutator noster ; flabello pugioneque in procætone repositis, saluteque solito de more datâ invicemque redditâ, cubiculum ingreditur in quo adstat compositio floralis. Ad unum circiter metrum a toro accedens, rite considit, genibus submissis, corpore talis innixo, unâ manu supra genua extensâ, alterâ autem supra nitidas tegetes porrectâ, toto corpore prono et in mixtam reverentiæ dignitatem composito (2). Quum semper tabulæ et flores inter se convenire debent, salutator primo adversam tabulam consideret ; si tres sint tabulæ, primo mediam, postea sinistram, deinde dextram inspiciat. Post id, ratione extremæ partis operis artificialis exactâ, propius accedere et ejusdem operis primam partem, floralem scilicet compositionem considerare poterit. Hic etiam ante omnia primariam, deinde sinistram lineam, postremo dextram lineam inspiciat ; deinde a summo ad imum oculis circumlatis, attente scrutetur quo modo caules initium capiant, quibusve artibus compositor hujus partis summam difficultatem vincere potuerit. Attamen modestus et verecundus semper sit, neve rustice flores inspiciat, ne

(1) Vid. XIV, vol. I, cap. 3, p. 21 seq. ; XXXIII, p. 60 seq. ; XXXIX, p. 164 seq.

(2) Hic salutator sedet juxta rationem *shin*. (Cf. p. 42, n. 2.)

scilicet eos ore stringat aut post eos caput inserat. Post hæc paululum recedat, denuoque in compositionem oculos conjiciens, quasi invitus a tantæ tamque eximiæ artis opere discederet, paulisper totum opus prospiciat, priusquam admirationem verbis expromat : ne autem verbis ex vulgari et quotidianâ allocutione sumptis et cuilibet florali compositioni convenientibus opus celebret nec laudando illud augeat, nam apud Japonenses loco proverbii « humanitatem quæ excessit modum inhumanitatem fieri (1) » dici solet. Laus ergo moderata, ingenua et liberalis sit ; itaque quod attinet ad eos qui parum in iis rebus sapientes, quid de hâc aut illâ compositione recte sentiendum et dicendum sit, suopte ingenio reperire nequeunt, illorum gratiâ manuales libelli ipsa verba docent, quibus ad præcipuas floralium compositionum varietates uti licet. Sic ut ea tantum referam quæ colores varios spectant, ad flores albos « venuste (2) ! » ad flores cæruleos, « splendide (3) ! » ad rubros flores, « pulcherrime ! (4) » ad flavos flores, « magnifice ! (5) » ad violaceos, « mire ! (6) » exclamare licet. Quoad vero compositiones florales ad columnam affixas, eædem serventur regulæ a salutatore, excepto quod recto simul et modice prono corporis habitu, ad suspiciendas autem suspensas compositiones erectiori capite esse possit.

Commutemus nunc personam : age porro salutator rogatus fuerit, quod sæpe fieri solet, ut ipse floralem compo-

(1) « *Tareoua shitsoure.* »
(2) *Kiasha.*
(3) *Mighoto.*
(4) *Outskoushii.*
(5) *Kekkô.*
(6) *Ksoumou.*

sitionem subito conficeret. Prius quod parato opus erat parari jussit hospes ; præ picturâ, supra humilem tabellam quæ albâ chartâ tegitur, positum est vas ad dodrantem aquâ plenum ; ad lævam partem vasis, in disco ad id destinato reponuntur florentes rami recens decerpti, minime curvati, ne jam antea in usu fuisse credantur, nec foliis aridis aut ramulis marcentibus nudati (1) ; deinde prope ramos, in eodem disco vel in alio qui juxta est, ponuntur ex ordine vas aquâ plenum, forfices, culter, serrula, linteum album rite involutum, furcosaque ligna, quibus ima pars caulium fulciri debet (2). Salutatore ergo annuente, hospes involvere et auferre debet tabulam quæ pro subitâ florali compositione maximam facesseret difficultatem, nisi tamen salutator, continuo perceptâ ratione quâ tabula et flores inter se convenire debeant, hanc difficultatem ipse non recuset. Quod si hospes vas pretiosissimum præbuerit, salutator parem gratiam referens, profitebitur se imperitum et inscitum esse, nec eum esse qui compositionem floralem hoc eximiæ artis opere dignam conficere valeat : hospite pertinacius precante, ad extremum annuet, sed ex industriâ aliquid minus comptum ac veluti negligenter conficiet, ita ut vasis pulchritudo magis efferatur, nedum obscuretur. Quod si hospes imprudens pauciores flores præbuerit, ne salutator plures expostulet, proque suâ facultate obviis utatur. Si forte plantæ hirsutæ aut hirtæ sint, ne runcet eas, nisi rogatus ab hospite. Denique, sit forte ab hospite contra omnes leges aliquid ad-

(1) Eadem servanda est regula quoad flores dono datos (*miaghe-nohana*) et ad compositionem reservatos : omnia in integro manere debent verminantia folia et etiam araneum. Cf. III, vol. III, p. 14.

(2) His de rebus vide XIV, vol. II, cap. 10, p. 21.

missum fuerit, salutator delictum dissimulans arte obvolvere studeat, nedum illud indicet. Si tum ad flores visendos tum ad thus accendendum cætus habitus fuerit, hospesque flores odoriferos præbuerit, salutatori abunde erit, remotis corollis dehiscentibus floribus silentibus tantum uti; nam in hujusmodi cætibus, quum poscit usus, potior arte ipsâ urbanitas habenda esse videtur (1). Ast in Japoniâ, nonne urbanitas ipsa ars dici nequit? num parva res est gestibus perfectis civilis commercii poeticam rationem exprimere (2) ?

(1) Hæc concessio quandoque arti ipsi profecit, et non raro urbanitatis officium ad novas vias excogitandas magnam vim habuit. Sic Sekishiou Kô, celebris scholæ auctor, quum a shiôgoun ramum longiorem quam pro compositione florali oblatum præ urbanitatis necessitate recidere non posset, illum flexit juxta formam ingeniosam, quam posteri tanquam rem exemplarem reveriti sunt (*mousoubi-yanaghi*; XIV, vol. I, cap. 3, p. 33). — Similiter, Sen-no-Rikiou, iter faciens per quemdam pagum, accepit e manibus vetulæ fasciculum iridum quas illius ergo in hortulo suo ipsa collegerat; infeliciter autem iridum capita angustius deputata erant quam ut ad normalem compositionem usui esse possent; tunc artifex aliquantisper cum animo reputans, conciliationis causâ, assumpsit bambuseum vas duplici ore et in superius os capita florum, in inferius autem folia inseruit, ita ut flores ex invisibili corpore assurgere viderentur : hinc venit celeberrima flores componendi ratio, *tsoutsougoshi-no-Kakitsbata* dicta (V, vol. I, p. 20). — Denique, magister Sòtan quâdam die rogatus fuit ut compositionem ex duobus pruni ramis, uno albo, altero roseo conficeret; pro vase autem discus tantum sub manu erat; non ista res commovit artificem, qui, discum aquâ opplens in illius oris, duos ramos veluti rivo prominentes disposuit, et quasdam corollas super aquam sparsit : hinc orta est nova compositionis forma *souibon-no-mme* dicta (V, vol. I, p. 21).

(2) Urbanitas duas partes habere dici potest, quarum una intellectualis, altera autem materialis est. Prior nihil aliud est quam scire quid famæ dandum sit, videre quid deceat, in civili commercio pro cujusque ætate, sexu aut dignitate; posterior autem tota sita est in exprimendis hujusmodi affectibus mentis per gestus idoneos, justa rectaque verba. Prior in Europâ et præsertim in Galliâ adhuc viget, etsi de die

Nunc ergo salutator rem aggreditur, omnibusque in contiguum cubiculum secedentibus, solus cum hospite est. Considit præ toro, oblique tamen et ad dexteram partem vasis, ita ut ex adverso lumen accipiat, celeriterque flores disponit ; per intervalla autem contra torum se sistit ut, si quæ sint emendanda, vitia corrigere possit. Si ad parietem suspensa sit tabula, cum quâ opus florale convenire debeat, communiter vas modice ad lævam removetur contra tabulæ ornaturam ; tunc curare debet artifex ne ulla linea anguli columnam transeat. Quidquid sit ne compositionem nimis ambitiosam aggredi audeat (1). Opere confecto, comiter roget hospitem, ut in vas tantum aquæ indendo quantum deesse videatur, summam manum operi imponere velit ; ne autem pluribus verbis roget ; fieri enim potest ut hospes oblitus sit aquæ modum ad præsentem compositionem requisitum. Itaque, recusante hospite, indet ipse aquam quantum satis erit, denique abstersâ aquâ quam supra tabellam vas ferentem profudisset, salutator instrumenta in disco, juxta reliquum quod florum superest, reponit. Tunc hospes ipse verrit folia delapsa et ad lævam partem cubiculi, ad posticulam, discum removet. Forfices tantum servantur juxta flores, quasi rogitantes hospitem ut, si quid a salutatore admissum fuerit, id emendare velit. Tunc reliqui salutatores redeunt, et alternis vicibus pro cujusque conditione, ad torum accedentes,

in diem asperi mores pro ingenuis invalescere videantur ; posterior vero, in diem invalente rusticitate, jam periisse videtur. Hæc tamen vivida affectuum significatio maximi momenti ars est, sive ad privatam hominis, sive ad communem societatis utilitatem attendatur. Japonica urbanitas ut perfecta regula et norma hujus difficilis scientiæ haberi potest ; nam inter Occidentalium immodestam æqualitatem et propriè dicti Orientis abjectam humilitatem medium tenet locum.

(1) Vid. XIV, vol. I, cap. 3, p. 33.

genibusque innixi, prout jam supra notavimus, commode et lente compositionem artificiosam oculis capessunt. Hospes compositionem laudibus extollit ; ne autem adstantes hospiti vas laudi dare intermittant. Omnibus tandem egressis, florum compositor opus ipse suum confestim dissolvat et reponat flores supra tabellam vas ferentem, nisi ab hospite rogatus sit ut illi parceat, nam abire, relictis post se artis et ingenii experimentis, summæ jactantiæ esset. Attamen si salutator illustrissimi generis sit, in patenti toro tres tabulæ, sigillum, thuribulum, et vas ad flores recipiendos destinatum, apte inter se convenientia disponuntur (1), florumque compositor opus suum integrum in domo quam præsentiâ suâ decoravit relinquere debet.

Nunc demum animo propone hujusmodi expeditos mollesque gestus, actus, variosque corporis habitus, quorum summam elegantiam oratione assequi nequimus; adde quod adstantes honestissime inter se consalutant, utunturque linguâ magna varietate distinctâ, ad amica verba blandosque sermones accommodatissimâ ; cogitatione depinge hos ritus varietate multiplices, tot significationes et commutationes habentes quot animi motus sunt, ad quos tum varios corporis habitus tum animum regere student nonnulli viri honestissimo genere nati, quorum mores, primo quidem aspectu, a nostris barbaris sensibus abhorrent, mox autem, eorum ornatâ concinnitate semel intellectâ, tantâ nos voluptate permulcent ut vix jam Occidentalium vulgarem urbanitatem tolerare possimus : ex iis facile intelligere poteris qui fuerint olim apud Japonenses florales cætus.

Ecquid unquam notatione dignius inveniri poterit quam

(1) *Mits-gsokou* nomine designantur.

hujusmodi cætus, in quibus tum eximiæ artis tabulas et florales compositiones oculis capessendo, tum versus legendo et scribendo, tum odorum tenuem rationem exigendo, nonnulli cultiores humanitate et elegantiâ mutuâ certantes, voluptate fruebantur ? Quos satis mirari nequimus ; quippe etenim hi clarissimi genere et bonis artibus dediti viri, ad acquirendam gloriam et tuendam justitiam paratissimi fortissimique milites erant. Hujus gentis hucusque ignoto cultui quantum virtutis inest ! quæ pulchritudo nitet ! Sic clarissimi illi viri, tum ad blanda puraque vitæ gaudia capessenda, tum ad maximas res in bello gerendas nati, manu fortes, in omni judicio elegantissimi, rectius quam nos sapientes, virtutes simul et voluptates, quantas natura hominis recipit, tum ad animos virtute instruendos, tum ad vitam oblectandam advocabant : in odoratûs et oculorum voluptatibus acquiescentes, poesis simul et artis studiosissimi, perpetuâ felicitate toti perfusi, eam expletam hominis formam expresserunt, quâ quidquam perfectius usquam gentium vix inveniri potest.

Vidi ac perlegi.
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. D. IV Idus maias ann. MDCCCXCVI.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus :
A. HIMLY.

Typis mandetur :
ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR,
GRÉARD.

LIBRI CONFERENDI [1]

I. Kaebana den hisho (*Traditiones secretæ de mutationibus florum*; id est de floribus quibus uti licet, si eorum quos res exigit florum penuria sit), suppresso auctoris nomine, 1 vol., Eddo, apud Takahashi Sebe, 1° anno Kamboun (1661). T.

II. Rikka djisei sô (*Flores disponendi methodus juxta rationem Rikka*), auctore Fousiounken Senke (schola Ikenobo), 8 vol., apud Nakano, 5° anno Tekiô (1688). T.

III. Tchi souji no foumoto (*Mille vincula ad montis radices deducta*; titulus ille fundatur voce ambiguâ *Sen*, unde plures artifices, e quibus Sen-no-Rikiou, familiæ cognomen acceperunt, quæ, non secus ac vox *Tchi*, significat *mille*; hâc voce auctor se horum magistrorum doctrinæ adhærere et mille vinculis teneri profitetur), Eddo, ex Boumeidô, id est « officinâ litterarum vigentium », 4° anno Meoua (1767). R.

IV. Sôka Kôghetshô (*Floridæ lineæ lacu ridentis lux fulgens in nocte*; titulus referens memoriam antiqui poematis « Kôghetshô » nuncupati), auctore Itchirôkodji Dôtô (schola shoghetsdô), 4 vol., Eddo, apud Oya Takidjô, 5° anno Temme (1785), denuo typis mandatum 26° anno Meji (1893). T et R.

V. Kôriou shôka shokokou hiakou hedzou (*Centum vasa in diversis provinciis confecta, juxta veterem rationem*), auctore Kireken Shorai, procemia a Kame Dosai, bonzio Aoune et Nankaen Itchiô (schola Kôriou), 3 vol., Oôsaka, apud Shiboukaoua, 3° anno Kiôoua (1803). R.

(1) Index ille librorum vel manuscriptorum juxta temporum ordinem dispositus est. Littera T indicat libros quos in bibliothecâ tokiensi invenire est, littera vero R eos qui non in eâ bibliothecâ sed apud auctorem sunt.

VI. Shofou sôka Bokkô no maki (*Volumen amnis Soumida, artis floralis vera principia referens ;* titulus ille revocans memoriam amœni *Soumida* amnis, cujus nomen sinicis litteris scriptum *Bokko* pronuntiatur, ad animos alliciendos aptissimus est), manuscriptum, auctoribus Teshôsai Itchiba et Ganshôsai Itchite (schola Enshiou), 2 vol., Eddo, apud Itchishin eorum discipulum, 6° anno Bounka (1809). T.

VII. Sôka Koromo no Ka (*Florea vestimenta odorantia ;* titulus ille transfert ad vestimenta odorem qui de horti floribus dici solet), auctore Teshôsai Itchiba, proœmiis a Kôkiôrô Shoujin, Kekô, Hôsaï et Makokou Sandjin (schola Enshiou), 12 vol., Eddo, apud Sououaraya Mohe, 5° anno Bounka (1812). R.

VIII. Enshiou riou sôka isho (*Notiones artificiales ad flores juxta rationem Enshiou componendos*), auctore Rishôan Itchidjou, proœmiis a Shôkou Sandjin et Hakousoui Shindjin, 4 vol., Kiôtô, apud Kaouakats Kôhôdô, 7° anno Bouensé (1824). R.

IX. Enshiou riou sôka koudensho (*De ratione Enshiou traditiones*), mss. a Senshôan Itchidjou, 1 vol., Eddo, apud auctorem, 6° anno Tempô (1835). T.

X. Kôriou shôka saisen hiakou hezou (*Centum vasa juxta veterem rationem confecta, nova editio*), auctore Shôsesai Hôyan Riyou (schola Kôriou), 1 vol., Eddo, apud auctorem, 11° anno Tempô (1840). T. et R.

XI. Shôji ghakousô (*Elementa artis floralis*), auctore Senshôan Itchidjou (schola Enshiou), 1 vol., Eddo, apud Sououaraya Mohe, 12° anno Tempô (1841). R.

XII. Sôka tchitose no matsou (*Compositio floralis ex mille annorum pino ;* ut pinus semper viret, ita artem floralem perpetuo vigere significat titulus ille), auctore Senshôan Itchidjou (schola Enshiou), proœmium a Kameda Adzousa, 3 vol., Eddo, apud Sououaraya Mohe, 12° anno Tempô (1841). R.

XIII. Kôriou shôka montchiou hiakou gojou hezou (*Centum quinquaginta vasa a veteris scholæ discipulis disposita*), auctore Sekimoto Hokkio Riyou (schola Kôriou), 1 vol., Eddo, apud auctorem, 5° anno Kôka (1848). R.

XIV. *Ikebana hayamanabi* (*Artis floralis breviata methodus*), auctore Nanrite Shoujin (schola Enshiou), 12 vol., Oôsaka, apud Itamiya Dzembe, 4° anno Kae (1851). I. Postea in duo volumina coacta rursus typis mandata fuit, temporis notatione prætermissâ (hâc novâ editione utebamur).

XV. *Matsou no shidzoukou* (*Aqua stillans e pino*, scholæ insigne), auctore Shosesai Hokkio Riyou (schola Kôriou), 1 vol., Eddo, apud auctorem, 6° anno Kae (1855). R.

XVI. Kôriou ikebana shinshô no maki (*Liber de naturâ florum juxta veterem rationem*), mss., auctore Shihôan Tomi, (schola Kôriou), 3 vol., Eddo, 4° anno Anse (1857). T.

XVII. Sôka nishiki no nousa (*Sacrum plumarium opus ex floribus* ; titulus ille tum *gohe* vel *nousa*, charteam scilicet pluribus incisuris fasciolam, in shintoisticis templis religiosam significationem præ se ferentem, tum plumarium opus, tum florem in mentem revocans, artis floralis sacram et inclytam rationem significat), auctore Kôsesai Ghempo, prooemium a Saito Setsoudô (schola Mishiô), 1 vol., Oôsaka, apud Maekaoua Dzembe, 1° anno Ghendji (1864). R.

XVIII. Heka sôhô (*Florea vasa disponendi methodus*), auctore Hosokaoua Djoundjirô senatore (sinica schola), 1 vol., Tôkiô, 10° anno Meji (1877). T.

XIX. Shoriou ikebana hayashinan (*Brevis via artis floralis juxta varias scholas*), auctore Nagai Hiroshi, 1 vol., Tôkiô, apud Yamada Tôtaro, 14° anno Meji (1881). T.

XX. Heshi sômokou dzoufou (*Explanationes de arboribus et herbis depictis in Heshi*, id est, floreorum vasorum sinicâ historiâ, cui titulus est *Heshi*), auctore Omoura Djoundô, (schola sinica), 3 vol., Oôsaka, apud Hanai Ouske, 15° anno Meji (1882). T.

XXI. Sôka hitori annai (*Artem floralem addiscendi ratio absque magistro*), auctore Soughaya Shôjou (juxta varias scholas), 2 vol., Nagoya, apud Hosokaoua Kohatchirô, 15° anno Meji (1882). T.

XXII. Kinrioute hiakouhe (*Centum vasa a Kinrioute disposita*), auctore Mourakami Shôtatsou (schola Kinrioute), 1 vol., Nagoya, apud Katano Tôshirô, 17° anno Meji (1884). T.

XXIII. Sôka hitori keko (*Artis floralis methodus absque magistro*), auctore Sagano Matsoutarô (juxta varias scholas), 1 vol., Tôkiô, ex Djtsoughetsoudô, id est, « officinâ solis et lunæ », 18° anno Meji (1885).

XXIV. Koriou shôka matsou no hitoshio (*Nonnulla de pino, seu de florum dispositionibus juxta veterem rationem*), auctore Shoosai (Semba Rihô), 1 vol., Tôkiô, apud Edjima Ihe, 18° anno Meji (1885). T et R.

XXV. Ikebana kokoroegousa (*Amimadversiones de arte florali*), auctore Yanaghaoua Tôrou (schola Kôriou), 1 vol., Nagoya, apud Minoya Seshitchi, 19° anno Meji (1886). T.

XXVI. Shiki no sono (*Quatuor temporum hortus*), auctore Ganshôsai (schola Enshiou), 4 vol., Oôsaka, apud Otani Ousabourô, 25° anno Meji (1892). T.

XXVII. Sôka shiki no nagame (*Quatuor temporum aspectus in floralibus compositionibus*), auctore Ganshôsai (schola Enshiou), 4 vol., Oôsaka, apud Otani Ousabourô, 25° anno Meji (1892). T.

XXVIII. Sôka matsou no midori (*Pinus virens in compositione florali;* titulus floralem artem perpetuam esse significans), auctore Ganshôsai (schola Enshiou), 4 vol., Oôsaka, apud Otani Ousabourô, 25° anno Meji (1892). T.

XXIX. Kôriou shôka shinsen hiakou henozou (*Centum florea vasa juxta veterem rationem, nova editio*), auctore Shoôsai, 1 vol., Tokiô, ex officinâ Djinsedô vulgo dictâ, 25° anno Meji (1892). R.

XXX. Shoriou hiden shôka dokoushiou djizai (*Ratio addiscendi sine magistro artis floralis variarum scholarum secretas traditiones*), auctore Fourioaan Soshô, 6 vol., Tôkiô, apud Aoki Souzandô, 26° anno Meji (1893). T.

XXXI. Shôka manabi no tchikamitchi (*Brevior via ad discendam artem floralem*), auctore Hôshôsai, 2 vol., Oôsaka, apud Akashi Tchiousitchi, 26° anno Meji (1893). T.

XXXII. Shôka hidjoutsou hitori ghéko (*Flores disponendi artis secretæ sine magistro comparatio*), auctore Tchioshôsai Itchisi (schola Enshiou), 3 vol., Oôsaka, apud Okada Tôzabouro, 26° anno Meji (1893). T.

XXXIII. Shôka hitori annai (*Magistro deficiente, ad artem*

floralem directum iter), auctore Ririousaï Seghamarou, 1 vol., Oôsaka, 27° anno Meji (1894). R.

XXXIV. Senkeriou shôka dzoushiki (*Scholæ Sen floralis compositionis adumbratæ formæ*), auctore Hayakoto Dzouihô, 1 vol., Tokiô, apud Yamagoutchi, 27° anno Meji (1894). T.

XXXV. Shoshin shôka hayashinan (*Artis floralis brevior disciplina, ad usum tironum*), auctore Soudzouki Koumadjirô (variæ scholæ), 1 vol., Tôkiô, apud Foukouraya, 27° anno Meji (1894). T.

XXXVI. Shoriou kaiden shôka hayashinan (*Artis floralis brevior disciplina, juxta variarum scholarum solidas traditiones*), auctore Odate Kidjiô, 1 vol., Oosaka, apud Hakata Kioukitchi, 27° anno Meji (1894). T.

XXXVII. Shoriou hiden shôka hayamanabi (*Artis floralis brevior disciplina, juxta variarum scholarum secretas traditiones*), auctore Yamaouaki Kenma, 1 vol. Oôsaka, apud Takeda Foukoudjô, 27° anno Meji (1894). T.

XXXVIII. Shôriou shôka hiden shio (*Variarum scholarum de compositione florali secretarum traditionum liber*), auctore Shoôsai. 3 vol., Oôsaka, apud Tanaka Taemon, 27° anno Meji (1894). T.

XXXIX. Tchanoyou to ikebana (*De thæi solemnitate et arte florali*), sine auctoris nomine (variæ scholæ), 1 vol., Tôkiô, ex Hakoubounkan seu « universalis scientiæ officinâ », 28° anno Meji (1895). T. et R.

XL. Sekishiou riou ikebana Kouden (*Scholæ Sekishiou de arte florali traditiones*), mss., auctore Hondjô Shinemon, 1 vol., Oôsaka; deficit temporis notatio. T.

XLI. Rikka shôdô shiou (*Corpus regularum ad rationem Rikka pertinentium*), auctore Ouemoura Tôemon (schola Ikenobo), 1 vol., loci temporisque deficit notatio. T.

XLII. Enshiou riou ikebana ouïmanabi (*Elementa artis floralis, juxta scholam Enshiou*); auctore Karasaoua Boundzô, 3 vol., Tôkiô, apud Kondo Setaro; deficit temporis notatio.

XLIII. Rikka sounamono (*Arenaria vasa scholæ Rikka;* adumbratæ effigies compositionum ad templorum ornamentum), mss. 1 vol., sine auctoris, loci et temporis notatione. R.

Tandem, absolutâ jam istâ lucubratione, sequentes libros invenimus, quos citamus ne quid in hoc indice omittatur, non vero quia nova vel diversa in eis reperiuntur :

XLIV. Sashibana hayashinan (*Flores disponendi brevior methodus*), sine nomine auctoris, 2 vol. (posterius tantum penes nos est) ; loci et editoris notatio deficit ; 1° anno Kiôoua (1801). R.

XLV. Kô-Ennkôdô ghakafou (*Collectio floreorum vasorum ad exemplar Enkôdô*), auctore Katsshika Takemarou (ut artifex, mutato nomine, Shunshôte vulgo dicto), 2 vol., deficit loci, bibliopolæ et temporis notatio. R.

XLVI. Hiakki Dzoukai (*Explicationes figuris illustratæ centum floreorum vasorum*), 3 vol. (quorum non nisi primum penes nos est), apud Tôoundô ; deficiunt auctoris nomen, necnon temporis et loci notatio. R.

XLVII. Hiose sashikaba hiden dzoushiki (*Adumbratæ effigies secretarum compositionum floralium, ad erigendos animos*), auctore Foukansai Sekisoui, 5 vol. (quorum tertium, quartum et quintum tantum penes nos sunt), Eddo, apud Kikouya Kôzabourô ; deficit temporis notatio. R.

INDEX

Objectum hujus lucubrationis. — Specie quidem humile, revera præstantissimum est, sive ad japonicæ artis historiam, sive ad artis in genere spectatæ philosophiam attendatur. 1

I

Ars floralis apud Japonenses permagni æstimatur. Apud Occidentales, sive veteres, sive recentes parvipenditur. — Opus florale in Japoniâ rationem habet artis, quæ in artium coronâ suum locum obtinet. — Hujus artis præstantia. Viris propria. Suos habet sacerdotes et fideles ; educationi liberali inservit ; ejus ad ethicen et philosophiam relationes. 3

Formatio hujus artis: juxta poeticas fictiones ; juxta historiam japonicam. Artis floralis historia in tres periodos dividitur. . . 14

Prima periodus, religiosa, a medio sexto sæculo ad medium sæculum decimum quintum. — Florum usus simul ac buddhismus invalescit. Shotok Taishi artis rudimenta ponit. — In isto ævi spatio, duo distinguuntur momenta ; alterum quietum in quo quædam artes adolescunt, alterum vero bellis turbatum in quo pessumeunt artes. Attamen amicâ religionis obumbrata tutelâ floret ars floralis ; huic plurimum addunt nonnulli sacerdotes, scilicet octavo sæculo Gômiô Shôzô, decimo secundo sæculo Miôe Shonin. — Hujus temporis floralium compositionum notæ : Shin-no-hana rationis et Rikka rationis propriæ notæ. Veteris scholæ generales notæ. 17

Secunda periodus, luxuriosa, a medio decimo quinto sæculo ad finem sæculi decimi sexti. — Renovantur artes tempore Yoshimassa. — Relationes inter artem floralem et solemnitatem thæi.

Itidem in hujus solemnitatis evolutione tres ejusdem generis periodi distinguuntur. — Tunc temporis quatuor præstantissimi artifices. Artis floralis progressus et præcipuæ notæ. 23

Tertia periodus, artificialis, ab exeunte sæculo decimo sexto usque nunc. — Sub Hideyoshi, Sen-no-Rikiou artem floralem instaurat. — Recentis scholæ, Kôriou dictæ, origo necnon exquisita simplicitas. — Variæ ex Kôriou ortæ scholæ. Quid unicuique proprium ? quid omnibus commune ? — Kobori auctore, tempore Iyeyas et Iyemits, ineunte sæculo decimo septimo, Kôriou ad summum artis fastigium evehitur. Ratio Enshiou. — Scholam veterem inter et recentem generalis instituitur comparatio. 26

Conclusio : solam artem floralem Japonenses ut propriam interpretari possunt. Probatur : ars floralis neque ex Indiâ, neque ex Coreâ, neque ex Sinâ originem duxit. Cur Sinenses, haud secus ac Occidentales, florum usum ad artis dignitatem evehere nequibant ? 33

II

Rationes estheticæ. — Linea et color. — Japonensibus linea colore potior est. Regionis aspectus generalis, architectura, pictura, graphice, choreæ ; lineæ vis expressiva. — In arte florali, color lineæ cedit. 35

Compositionis floralis forma generalis : normalium linearum systema. — Linearum ratio. — Compositionis pes. — Compositionis corpus : omnino vitanda est partium alterna paritas, utpote repugnans naturæ simul et arti ; partes ita inter se convenire debent ut ex pluribus et multimodis fiat tamen aliquid unum. — Ad hunc finem attingendum, posito quod lineæ super planam superficiem explicentur, quot numero esse debent, quâ ratione dirigendæ et curvandæ sunt. — Typus princeps compositionis ; trium linearum forma ; definitio primariæ, secundariæ et tertiariæ ; quinque linearum forma ; septem linearum forma. Singularum linearum officium. Varia nomina quibus lineæ designantur a japonicis magistris. — Duplici modo commutatur compositio. — Lineæ, prout suo loco stantes, quasnam partes cœli spectare debent ; linearum directioni sexus poetice attribuitur ; linearum directionis ratio ; ipsius utilitas. — Quænam præsertim vitanda ? 39

Juxta præfatam formam construitur florale ædificium. — Quot species plantarum adhibendæ? Quænam eligendæ? Adhibenda est ratio speciei, varietatis plantarum, soli quo nascuntur, etc.... Apta oppositio arborum et plantarum herbescentium. Perita dispositio florum et foliorum. — Quænam vitanda? — Attento florum et foliorum evolutionis momento, quænam notanda? Quid de florum colore? 54
Hæc convenientia inter diversas partes operis non sufficit : necesse est compositio floralis conveniat tum cum tempore quo conficitur, tum cum rebus circumstantibus. 66
Naturalis convenientia inter flores et tempora jam Europæos gradatim fugere videtur, ut cernere est in Galliâ. — Longe alia mens est Japonensibus. Apud eos, unicuique tempori vel mensi sua propria assignatur planta et compositionis floralis ratio. 67
Convenientia compositionis floralis cum rebus circumstantibus. — Relatio ad vas. — Ex materiâ et formâ desumpta vasorum varietas. Triplicis generis sunt vasa, scilicet vasa supra planam superficiem collocanda, vasa ad aliquid affigenda et vasa suspendenda. Cujusque generis species diversæ et multiformes. — Convenientia vasorum et florum. Secundum vasorum diversitatem variari debet et compositio floralis. Naves floreæ. — Convenientia vasis et compositionis cum fulcro florum. Fulcra ad ornamentum. — Aqua in vase. 76
Relatio florum ad tabulam ante quam disponuntur. — Locus tabulis et compositionibus floralibus respective assignandus, juxta earum numerum et dimensiones. — Relationes estheticæ juxta significationem tabulæ. — Qui jam in tabulâ pictus est flos, a compositione florali rejiciendus est ; quamnam ob rationem? Eadem prohibitio quoad relationem compositionis ad chirographum. 94
Relatio compositionis ad cubiculum. — Torus et repositoriorum locus. — Tori flores. Quomodo disponendi? Convenientia florum et tabularum tori cum cubiculo. — Repositoriorum loci flores. — Aliis locis aptandæ compositiones florales. 101
Relatio florum ad hortum cubiculo præjacentem. — Japonici horti nota essentialis. — Quos in horto videre est flores ad compositionem floralem adhiberi non possunt : fabella de Sen-no-Rikiou. 105
Ex omnibus istis relationibus perfectus concentus exoritur. . . 108

III

Rationes poeticæ. — In quo estheticæ et poeticæ rationes inter se conveniunt et in quo discrepant. 109
Plantæ admittendæ et plantæ rejiciendæ ; quasnam ob causas ? Septem flores præter omnes probatissimi. Compositiones admittendæ et compositiones rejiciendæ. Vasa idonea. 110
Compositiones florales ad præcipua inter hominum vitam evenientia accommodata. — Festivitates nationales. 116
Festivitates privatæ : compositiones florales vel ad religionem, vel ad usus profanos pertinentes. Nonnullæ speciales compositiones. 121
Ad quorumdam cultiorum congressiones prædeterminatarum compositionum floralium regulæ. — Thæi solemnitatis, ad versus legendos vel componendos congressionis, thuris solemnitatis flores. — Cœtus florales. Quomodo salutatores opus florale mirari debent ? Ritus servandi in floribus salutatore componendis. Urbanitas et ars floralis. 128
Expleta atque perfecta forma cultus vitæ veterum Japonensium . . 136
Index librorum conferendorum. 139

Pictavii. — E typis Oudin et soc.